
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
34 M
5

DE PARTE
HOROSCOPANTE
AD
SERENISS. FRANCISCVM
MEDICEM MAGNVM HETRVriae Ducem II.

Tuccij Tuccij Patritij & I. V. Consul. Lucen. Liber I.

Cum S.D. N. natali

Ad Ill^mum & Excell^mum D. Iacobum Boncompagnum S.R.E. Gener. Guber. Ducem Sorae, &c.








LVGDVNI,
Apud Bartholomaeum Honoratum,
ad insigne Vasis aurei.

M. D. LXXXV.





Ioannis Philoponi Dambrouij Decani Olomucensis de Auctore hexastichon.

Fatidicae errantes numeros, arcanaque Memphis
TVCCIVS in patrios, vt reuocauit agros:
Cedite, Nilus ait, nostrae vrbes, cedite lymphae
Aeternis Auser, dat sua iura, polis.
Nec pudeat, magnus, cui vltro paret Olympus
Huius victrici, subdere colla iugo.


Eiusdem Tetrastichon.

Si vanis debentur Phoebi ambagibus arae
Et templa, & sacris thura dicata focis:
Quos tibi mortales, TVCCI soluemus honores
Cui Delphos victas porrigit ipsa manus?

Vincentij Gregorij Iureconsu. Lucen.
ad Auctorem Tetrastichon.

Dum tua nutantes quaerũt responsa clientes
A me si sapiens dicere, iure quidem:
At sapiens magis, atque magis, dum sydera cursu
Quod cunctis signent, nuncia verba refers.

A



Io. Baptiſtae Donatij Philoſophi & Medici Lucen. de Auctore Carmen.

Qui modo cordato fundebat pectore iuris
Reſponſa, haec nobis protulit in medium.
Sublato populi ſtrepitu, longeque relicta
Stultorum turba, docta per ora volans
TVCCIVS. Aſtrorum hunc ſpecies, ortuſque notantem
Vidi, ſtratus humi, dum exanimis refouet
Vibrantes artus ſerpens, qui perdit amantes
Muſas, qui noſtro ſanguine bella gerit.
Exciit atra etiam te mors, quae commoda vitae
Cuncta cadens violat, non metuenda bonis.
Quid ceſſas? noſtra haec ſterileſcunt rura beata:
Surge, & per terras iam pia bella vehe.
Hortamur te nos, Hetruria poſcit, Apollo
Praeſto operi eſt, tantùm laus tibi ſola datur.

Io. Franc. Gratianij Fanen. de
Autore Carmen.

Multa Ceressarius vero Paris edidit ore
Ortam ex euentis quae meruere fidem.
Fata vt cum cecinit Paulo Farnesio ad vnguem
Diuino illi homini Pontificique bono.
Ecce alter Paride assurgens, nihilo minor ipso
Multa canit, possint quae meruisse fidem.
Paulo ille, hic Magno Francisco: forsitan aetas
Nunquam tàm similes protulit vlla duos.
Consultus iuris, Coeli consultus vterque,
Promptum & ob ingeniũ carus vterque bonis.

Eiusdem Hexastichon.

Consistat natura, cadant Coeli aurea templa,
Aut haec veridico TVCCIVS ore canit.
Quique isthaec, idem ille etiã quàm plurima nouit
His adiuncta, magis quae placuisse queant.
Vtile nosse homini, quae mox ventura trahantur
Quo se prudenter casum ad vtrumque paret.

F. P. S. ad Autho-
rem Tetraſtichon.

Sydera ſi quaerunt TVCCI, & ſibi iura monar
cham
Errarent, alium praepoſuiſſe tibi.
Namque Aſtraea tibi mater, quae ſydera Caeli
Sanctaque te claro lumine iura docet.

Eiuſdem hexaſtichon.

Induxere alij in Latium cum principe Muſas
Fontibus è Graiis, barbariciſque iugis.
Reſtitit hic tamen eoas vi tenta per vrbes
Vranie à duris aurea ſola viris.
Tu nunc quam nulli veterum potuere, reducis
Solus eam Auſoniae victo Oriente tuae.



TVCCII TVCCII PATRItij & I. V. Consul. Lucen. in eius de parte horoscopante lib. primum ad Lectorem

PRAEFATIO.



Duersus eos qui frustra laborantes Astrologiam exprobrando, eam è medio tollere, conati sunt, cum illud ipsum consequi posse desperarent, non solùm ab aliis grauissimè &copiosissimè est responsum: sed abundè etiam omnium eruditorum virorum consensu, omnibus eorum rationibus est satisfactum. Nàm non modò à Lucio Bellantio, Gabrielle Pirouano, & Dominico Sceuolino, viris vndecunque doctissimis, diminutae aut infirmatae, sed penitus fractae sententiae sunt, quae cùm ab aliis, tùm à Ioanne Pico, & Hieronymo Sauonarola, satis alioquin doctrina excultis viris: quoniam non sanè feliciter, ac ex cuiusque eorum animi sentētia, verissima tamen, sicut exitus approbauit, responsa, à Mathematicis accepissent, aduersum Astrologos postquam contra Vraniae delubrū coniurauerāt, in medium fuerant adductae. Alter enim, qui tertio & trigesimo anno ex hac vita migrauit: quoniam immaturus sibi in-

Cardan. lib. de genituris num. 64. & 65. & in aphoris. seg. 1. aphoris. 63.

teri

teritus, ex eius Genesi praenunciatus fuisset, & acerbè, & asperè nimium, in Astrologiam fuerat inuectus. Alter verò, quem post in rogo mors occupat, quoniam eiusmodi obitus discrimen, sibi impendere à Mathematicis intellexisset, quae Astronomi maximè sequũtur, inuadere conatus fuerat. Sed & multa etiam à Luca Gaurico in oratione de laudibus Astrologiae, in Ferrariensi gymnasio habita, dum Mathematicas disciplinas publicè profiteretur: & à Gondisaluo Toledo, in epistola Astrologiae defensiua, ad Antonium filium, quae operi Ioannis Ganiueti præponitur, contra eos, qui repudiando veluti vana, & ficticia, quae Astrologi promittunt, asserere non dubitabant, allata sunt. Ab iis enim, & multis aliis, quos Gondisaluus Toledus percenset, & Gauricus sua luculenta oratione commemorat: qui in eos scripserunt, qui aliquam rerum futurarum praesensionem, ex astris haberi, nullo modo posse contendunt, nihil, quod ad eam tutandam pertineret, est prætermissum. Adeò vt mihi quidem videatur, gratiam quantam maximam, animi nostri capere possunt, Deo Optimo Maximo habendam esse: posteaquàm tanta referri minimè potest, quanta pro tanto munere debetur. Quo Astrologia, vna ex septem artibus liberalibus, ac digna homine nobili doctrina: scientia vera, vt S. Augustinus[a], S. Bonauentura[b], Scotus[c], & Ioannes Bachonus[d] princeps Auerroistarum testantur; & in pluribus locis omni asseueratione Diuus Thomas[e] affirmat: non prohibita, vt tenent Canonistae[f], quorum dictis addo, si intra genuinos terminos contineatur, vt necessitatem videlicet non impo

Paul. Iou. lib. 5. & Fran. Guicciard. lib. 3.

a S. August. lib. 5. de Ciuit. Dei.
b S. Bonauent. 2. sent. dist. 14. art. 11.
c Scotus 2. sent. dist. 14. quaest. 3.
d Io. Bacho. 2. sent. dist. 15. quaest. 1. art. 3.
e S. Thom. 1. par. sum. quaest. 115. art. 3. & 4. Idē contra gent. lib. 3. cap. 84. 86. & 92. & in opusculo de iudiciis Astrorum ad fratrē Reginaldum.
f Canonistae in c. ex tuarū tenore. de sortileg. & maxime Io. And. Io. de Anan. & Abbas Panor. nec nō & bona gloss. in c. nō liceat 26. q. 5.

imponat, quemadmodum omnes boni, atque in ſcientia aſtrorum ſapientes ſenſerunt: inter quos Ptolomaeus[g] ſic enucleatè locutus eſt, vt ſi quis, aut fatum, aut neceſſitatem timendam aſſeuerare audeat, is non Aſtrologus, ſed Pſeudoaſtrologus appellandus ſit: & quae tandem Petri de Haliaco[h] Cardinalis Epiſcopi Cameracenſis teſtimonio, viri ingenio praeſtanti eruditione perfecta, ac in ſtudiis Theologiae, in quibus in celeberrima Pariſienſi Academia ſe exercuerat, apprimè verſati, ac ob perſonam, quam in eccleſia geſſit, venerandi, mortalibus vtiliſſima eſt, in lucem demum è tenebris eſt reuocata. Cui cum aliquando à iuris ſcientia, quid ſubciſiui temporis contigit, operam ſtudiumque nauarim: quoniam animi, ingeniique mei, naturale quoddam, quaſi pabulum, conſiderationem, contemplationemque naturae animaduertiſſem: ingenuo homine indignum non putaui, ſi Principi viro, deque Chriſtiana Republica benè merito, de parte horoſcopante, à qua omnem Aſtronomiae artis vim pendere, manifeſtum eſt, de qua inter Aſtronomos cõtrouerſia eſt: quid ipſe ſentirem dicerem, cum quid aliis aſſentirem, non haberem. Scripſi igitur, cum plus otij, quàm vnquam antea nactus eſſem, quae ab hinc triennium ad decimum ſextum Calend. Februarij, cum pridie veſperi Florentiam veniſſem, Sereniſſimo Magno Hetruriae Duci obtuli: & quae nunc amicorum precibus, quibus deeſſe minimè poſſum, calcographo, prelis ſubiicienda, tradere, ſum coactus. Quae vt non oſtentatione aliqua adductus, aut ſtudio certandi, ſed vt

g Ptol. li. 1. apotelesf. cap. 3. & in Centil. aph. 5.

h Pet. de Haliaco in libr. de concor. Aſtrol. & Theol.

ea expromerem, quae iam multos annos ſenſiſſem: adiectis autorum capitibus, ſuis vbique locis, à quibus ea accepimus, ne non ex inani arte, potius quàm ex Aſtronomiae praeceptis, quiſpiam, quae diximus, nos confinxiſſe putet, literis conſignaui: ita Aſtronomiae candidatos maximè rogatos velim, vt ea, quae eorum eſt humanitas, aequi bonique conſulant.

Sum



SVMMA RERVM IN LIbro primo de parte horoſcopante contentarum.

PTolemaei doctrina de parte aſcendente inueſtiganda,quã Annimodar vocãt Arabes,exactè declaratur:eiuſque palantis Coelo ſtellae greſſuum numerum, quae in ea , quae partum anteuertit,luminũ coniugatione,poteſtate & dominatu omniũ digniſsima ſit,ſecundum quantitatem diſcretam,in Cœli forma componenda vtendum:non ſecũdum continuam, vt Antonius de Monte Vlmo cenſebat,ſignificatur.

Regula Cẽtiloquii,ex primo & quinquageſimo aphoriſmo, quae Trutina Hermetis dicitur,plenè bonis,ac ex ordine honeſtis veri notis,excutitur:& ex tribus hominis initiis duũ,principis,quod ortu non finitur, quemadmodum Guido Bonatus decreuit,quem Franciſcus Iunctinus eſt ſecutus:& extremi,naturae cognatione eſſe conſenſum,aduerſus Hieronymi Cardani ſententiam ſuggeritur.

Modum indagandi verum aſcendens,per ea,quae nato contigerunt, ab antiquis non fuiſſe tractatum demonſtratur:eoque ſolo,caeteris hactenus diſiunctis,& à nobis ſic copulatis,vt artis deinceps imago & ſimulachrũ ſient,recuſatis, obſeruato,ſecundũ Ioannis Paduanii Veronẽſis monita: quale extra modũ abſonum,& abſurdum inconueniens conſequeretur, proponitur.

Principum virorum geneſes duae, quorum alter importuniſsimo extinctus funere Βιοθάνατος ex hac vita migrauit, alter priuatus ſatus,editus, & adultus, ad ſummum dignitatis apicem eſt euectus,ad amuſsim, omnibus locis ex quibus argumenta eruuntur,ſcrutatis,examinantur:Lucae Gaurici cõmentis,quae in priori,tametſi acutula,infirma tamen,eneruata & viribus carentia adhibuerat,reiectis.

Autoribus rerum Aſtronomicarum primariis, debiti meritique honoris gratia ὁδὸν παρέργον nominatis : antiquorum, ac neotericorum aliquot,qui in aſtrorum ſcientia praecellentes fuerunt,praeter rem recenſentur:atque ibidem , quales Aſtro-

nomi,qui in re,quae cum crebra,densaque sit,spinosiora,propter multa,varia,& copiosa,quae amplectitur,ni diligenter aduertatur,parere posit,vt satis verent,esse debeant,obiter tangitur.

Ortus nascentium nunciationi, ex horologiis acceptae,non esse acquiescendum,ostenditur: & cum plures in puerperio accidant actiones,quomodo Astrologos,qui ex tempore extimato,quod saepius verum subsequitur, ratiocinantur, decipi contingat: & inibi quando adeò principii summa inquisitio, & perspicax veri inuestigatio,& si ad attrectandum magis accommodata,minus necessaria existat, & de quibusdam rerum primordiis, in quibus multò secus se res habet.

Natalis tempus,seu per Quadrantis,seu per Astrolabii,quãtam vis sedulam, & attentam inspectionem sumptum, à vero aberrare posse,pluribus, iisdemque ad veritatem propensis rationibus, exponitur: ac Ptolemaei locus super Astrolabiis,propriis,& genuinis ipsius Ptolemaei selectis verbis, expensis, perpenditur: & tum generationis,tùm nascendi hominis exordiũ, quale sit,contra Ioannem Picum, & Cardanum differitur.

Ad





AD SERENISSIMVM FRANCISCVM MEDICEM

Magnum Hetruriae Ducem II. De parte horoſcopante Tuccij Tuccij Patritij & I. V. Conſul. Lucenſis

LIBER I.



CVM multae res in ortu, obitu, curſúque ſtellarum, principio ab Aſſyriis obſeruatae ſunt: cuius nationis Chaldæi, diuturna obſeruatione ſcientiam putantur effeciſſe: ac multae etiam ab Aegyptiis, qui longinquitate temporum, innumerabilibus penè ſeculis, artem conſequuti exiſtimantur, memoriae proditae ſunt: tùm admirabilis, Sereniſſime Princeps, percepta ſcientia eſt, de erigenda corporum cœleſtium poſitura, quæ tùm tempori natalitio, tùm traiectionibus, motibúſque ſtellarũ perquàm exactè reſpondeat. Hanc exactiſſimè calluiſſe L. Tarutium Firmanum Mathematicum, Chaldæis in primis rationibus eruditum, credere par eſt: qui in gratiam Varronis viri Romani Philoſophi, M. Ciceronis, & C. Cae-

ſaris contemporanei, perſpectis Romuli Vrbis Romae conditoris, ingenio, moribus, rebus geſtis, vitae tēpore, mortis genere, hiſque omnibus in vnum collatis, non tempus ſolummodo Romuli natiuitatis, qui ſexcentis ante annis amplius obierat, ſed & conceptionis, in diem & horam deduxit. Oſtendens Romulum primo anno ſecundae Olympiadis decimo Calend. Ianuarij, hora tertia, à matre fuiſſe conceptum: & ad duodecimum Calend. Octobris, anni ſequentis, circa primos Solis ortus, in lucem editum. Hanc & tenuiſſe & docuiſſe Hermetem rerum coeleſtium antiquiſſimum ſcriptorem, Triſmegiſtũ nō immeritò ab antiquis nuncupatum, literarum monumentis eſt conſecratum. Hanc Ptolemaeus, vt Abrahamum Meſſahala, Abenragel, caeteroſque, quos recenſere longum eſſet, miſſos faciam, nobis tradidit. Hanc cum noſtri temporis Mathematici, (vt ab antiquitate recedamus,) ſic celebrare, & inter ſe recolere, ſic ſummis laudibus in Coelum efferre, ſic denique profiteri ſoliti ſint, vt magno argumento eſſe debeat, Dei Optimi Maximi, à quo cuncta bona emanant, munus eſſe & inuentum: mirum videri poteſt, quomodo iam vſque ad hunc diem, de parte circuli obliqui, quae tempore tuae natiuitatis ſupra horizontem emergebat, à qua reliqui Coeli cardines figurantur, queſtio ſit. Dum alij Velleris aurei, quo aliquando è Ponto, à nouercae impiis telis, incolumis Phrixus euaſit, primae decuriae partem: alij luminum reliquorum, & Aſtrorum Principis locum: alij circa finem Colchorum fului pecoris partem, horoſcopaſſe affirment. Qua in quaeſtione, cum

cum ego Mathematum non professor (quid enim Iureconsulto cum Mathematicis disciplinis?) sed Astronomiae per otium, & aliarum demonstrationum, à forensibus causis, & à iure dicundo studiosus, in opinione ab omnibus aliis disiuncta semper fuerim: quid iam dudum senserim, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit, iuxta sapientissimorum virorum dogmata, in medium proferre decreui, rem tibi non ingratam sperans futurum.

Ptolomaeus libro tertio Quadripartitae constructionis, cap. 2. necessarium esse existimás ad Genethliacae artis doctrinam, tradere, quemadmodũ quis partem signiferi inueniat, quae in ortu debeat constitui, iuxta naturae consentaneam rationem: docuit diligẽter obseruare, quae nam stella, eam, quae proximè partum, antecessit cóiugationem, partus tempore gubernet. In interlunio quidem simpliciter. In Plenilunio verò, eius, quod supra terram luminaris extiterit. Quam enim illa partem occupet, tùm quãdo foetus in lucem editur, animaduertendum. Eodem enim partium numero, ad constituendum Orientalis finitoris angulum, siue Medij Coeli, iuxta proximiorem distantiam, vtendum: vt secundum eius ductum, reliqui Cœli cardines figurentur. Haec sunt, que à Ptolemaeo, locò citato, de parte horoscopante tradita sunt, quae ab omnibus Astronomis & Graecis & latinis sunt cófirmata, & ante Ptolemaeũ etiam in medium adducta: adeò vt nullus ferè de Astrorum iudiciis quidquam scripserit, qui huius non meminerit rectificationis, quam per Annimodar nuncuparunt. Iam cum planum sit, proximè

partum, quinto Idus Martij, vltra dimidiatam horam, prius quàm Phoebus lustraret lampade terras, luminum aduersam positionem fuisse, cum esset in iugo omniuaga Diana, sub secunda parte: stando in via Ptolemaei, ille nobis expendendus est locus, vt quis nàm τῶν ἑπτὰ πλανωμένων, in dicta parte, ad principatum aspiret, nobis innotescat. Et certè prosper & salutaris ignis, & rutilus horribilisque terris fulgor, admodum nihil in ea parte ditionis habent: quantum Ptolemaei ratio suppetit, quem ego auctorem vehementer sequor. Licet teneat secũdum Arabes, qui in superiori sphaera illigatus cietur, in Chelis trigonum, vt per Alchabitium diff. p^a. & per Abrahamum Auenares in Introductorio. Alter verò, qui proximum inferiorem orbem tuetur, in primis quinque partibus finium ratione dominetur: vt per Albumasar libro quinto Introductorij in Astronomiam cap. 10. Acidalia domicilij iure duntaxat excipitur, Cyllenius triangulum tantùm possidet. Latonae genus duplex nullam habet praerogatiuam. Eius igitur, à quo erectum Coelum, vetus opinio Graeciam oppleuit, que reliqua stella est, curuam seruans sub imagine falcem, à sufficienti partium enumeratione, ommisso verborum circuitu, omnibus aliis anteferenda est: vt potè quae trigonum in Chelis habeat, & altitudinem, vt per Ptolemaeum lib. p^o. cap. 17. & 18. nec solùm altitudinem, & trigonum, sed & fines etiam in dicta parte, siue terminos nuncupare velimus: tàm si inspiciamus fines Aegyptiorum, quomodo videlicet ab Aegyptiis traditi sunt, quàm rationem Chaldaicam, quàm etiam Grae

Graecorum, ſiue potius Ptolemaei fines: pro vt de omnibus per Ptolemaeum lib.ſupra citato cap.19. & per d.Auenares in d.Introductorio. Eius igitur inquam falcarij globi, partium numerus, quem plures dignitates in Latoniae parte, in Occidentis angulo, habere compertum eſt, ad natalitium ſchema conſtituendum, animaduertendus eſt. Qui cum in ſcrupulis denis quinis, partis, quae continens quaternis quinis, eius ſyderis eſt, quod Erigonem ſubſequitur, in diariis, ex tabulis Alfonſinis depromptis, tempore natiuitatis reperiretur: ſitque hic numerus parti horoſcopanti, iuxta tempus aeſtimatum, proximior, quàm Medio Coelo, ſecundum quantitatem diſcretam: ſecundum quam, non ſecundum continuam, vt Antonius de Monte Vlmo rebatur, figura Coeli fingenda & accomodanda eſt: ſiue Neiphiles prolis, vectoris initium aſcéderet, ſiue Phoebi locus, dummodo non vltra horae trientem, poſt eius exortum, tempus ſit aeſtimatum: meritò conſimilis numerus in horoſcopo erit conſtituendus. Vt diluculo,

Cum primum gelidos rores aurora remittit
Et iam albicaſſit Phoebus, & recentatur
Commune lumen hominibus, voluptaſque:

ipſo ſi quidem crepuſculi matutini initio, quod bis denis quinis, ſupra horam, partibus, priuſquàm orbis pars denſior Solis è finiente emergat, prouida ſolerſque natura inchoauit: quae in puerperio enitentibus, partui antecedunt, Inclitae Principi matri, magnanimae foeminae, è dolore laboranti, anguſtiae contigerint. Quod paulùm oppido affluentius,

vt minus ſanè ad ea,quae paramus, neceſſarium, ſit adiunctum. Ac decem enimuerò, quod ad artem pertinet, tortae aſcenſionis partibus, quae horam dempto triente efficiunt, añtequam Hiperionide Regis,qui cuncta ſua luce luſtrat, & complet,in horizonte iubar appareret, momẽtum natiuitatis extiterit: nouiſſimae orbis ſigniferi formae, vnica parte, ſextante minus,ſupra bis binas ſenas exoriente.Cum praeſertim in eadem ſigniferi parte, ex tabulis Prutenicis,in qua, & ex tabulis Alfonſi Regis, ſummus ille,qui,an non dum etiam, ſit ſatur annis, dubium id quidem,Coeli filius ſupputatus reperiatur. Et id ipſum tantò magis ſuaderi videtur, cum in preſenti natiuitate, excutere operae pretium nõ ſit,an Apollinis locus,an Dianae potius attendendus veniat.Cũ enim nihil vtriuſque coitio dubitationis habeat, & de partibus contrariis,quibus maxima diſiunctione ſeparãtur,diſſimiliter iudicatum fuerit:quibuſdam, inter quos Vellius fuit, in ſecretione luciferae ſemper locum inſpiciendum pronunciantibus: vt narrat Alchabitius diff.4. & Abrahamus Auenaris in libro Natiuitatum: in praeſenti natiuitate ceſſat omnis difficultas, cum vtramque Noctiuagae locum accipiendo,ſequamur ſententiam. Quia videlicet eius partem amplectimur, quia in ſupero hemiſphaerio,& quia eius locum amplectimur, quia è regione Apollinis.Eſt hoc primum, & potiſſimum argumentum, quo ego poſteaquã per otium aliquando,à legali ſcientia diſiunctus, rebus Aſtronomicis operam dedi: illam partem, quartam ſupra bis denas,cũ denis quinis ſcrupulis, vltimi in circo ſigna

ferente

ferente ordinis:in quo larum ſedes, qui maximus,& idem ante beneficētiſſimus dicitur, & ſi genitorem vinculis religauiſſe, phiſica ratio non inelegans includat in impias fabulas, habere Aſtronomi perhibent:fuiſſe in horizonte tempore tuae natiuitatis,in animum induxi meum. Non autem primae quam vis potius Aſtrorum ductoris, arae & ſempiterni foci Gradiui,regionis partem, valdè enim de illarum quapiam opinio eſt:nec mediae,partiū, quae Solem anteuertebant, vt ſi natus eſſes parum ante Solis ortum, vt in vita Magni Coſmi parentis tui ſcripſit prothomedicus Baldinus:nec locum Solis,vt ponūt Aſtronomi Florentiæ, ſicut aliàs per literas accepimus. Cum nec quibuſuis potius illarum partiū exorientibus, ſecundum Ptolemaei theoremata, Coeli ſtructura conſtitui poſſit:nec naturalis illarum ſtellarum,partium familiaritas, quam in ſingulis ſigniferi locis animaduertere eſt, configurationibus corporis,neque peculiaribus qualitatibus, quas pro ratione circunfuſi Coeli,in partu infans acquirit, ſatis reſpondeat,vt Ptolemaeus voluit lib.2.cap.3.& lib.3. cap.p°. Nàm cum vetus eſt opinio, que conſtat ex antiquiſſimis ſapientiſſimorum Aſtronomorum literis & monumētis,potiſſimùm ab horoſcopo,concretionis humanae iudicium accipiendum eſſe: vt auctor Centiloquij ſententia 77.patefecit, & in ſuis ad Saracenorum Regem propoſitionibus Almanſor Aſtrologus demonſtrauit, propoſit.63. & melius ſummus ille auctor huius diſciplinae Ptolemaeus oſtendit lib.3.cap.15. Vbi de forma, & temperatura corporis loquens:Orientalis finitoris partem,& mo-

derandae eius, ius possidentes errones, ad membrorum compositionem, & corporis lineamenta agnoscenda, generaliter spectare praecipit: tametsi & eiusdẽ finitoris succedentes, partim verò & Lunam. Perspicuum equidem esse potest, si vultus, si oculorum, si denique faciei est habenda ratio: postremae, ex geminis aquarum incolis, conflatae figurae, partes, quae colorem precipuè album, quae candidum, quae oculos venustos, ac reliquas corporis partes, cũ quadam pulchritudine efficiunt, quemadmodum praeterfers, exoriri debuisse. Secundum ea, quae Auenaris Iudaeus tradidit, Astrologus in re iudiciaria peritissimus, in Introductorio, quod dicitur principium sapiẽtiae, cap.2. quem sequitur Albertus Marchesius de Cotignola in morali Cœliloquio lib.6. cap.37. & quae idem Auenaris scripsit in libro natiuitatum cap. de prima domo, in verbis, *signa quoque significantia pulchritudinem*. Iunctis iis, quae voluit Albumasar Abalachi lib.6. cap. de signis ad formae dignitatem ducentibus. Quo loci, iam dictas partes, praeter caeteras, exorientes, formae decorem, & dignitatem praestare, & ad beneuolentiam, mansuetudinem, & amplitudinem animi ducere, scriptum reliquit. Non autem principium signis ouium satorem, ex cuius partibus, nõ solùm, nihil, cum his, quae diximus, commune cõflatur: sed corpus potius complexionis ardentis, macrũ, & carnis consumptae, Sole præcipuè signum peragrante componitur: vt per Albohazen Haly filium Abenragel Arabum, par.4. cap.p°. & per d. Auenares in d. Introductorio. Cum maximè accedat, vt tantùm in salientibus oblecta-

mentis

menti capias:tantùm muſcoſorum fontium, gelidis perennitatibus perfruaris: tantùm torrentium fluminum ripis, tantùm liquoribus perlucidis amnium delecteris:& vt ſummatim dicam,tantam ſentias in aquis voluptatem,vt eam ſenſus accipiens,iucunditate quadam perfundatur.Et cum tria ſint genera delectationum, quibus potiſſimum principes viri,cum à moleſtis operoſiſque negociis,ſe paulùm relaxare cupiunt, ſenſus ſuauitate animum deliniunt.Aucupium,in quo, pictas volucres, animantium genus pennigerum, & aëreum, ſine lyra, ſine fidibus, ſine neruis,ſuauiter canentes, in ſyluis telis impetiendo: in arborum ramis, tegmine foliorum ornatis,vbi minus metuunt,iaculis figendo:viſco in agris fallendo:tenſis reticulis, tenuiſſimo lino, minutis maculis textis, in nemoribus captando, mira quaedam dulcedo, & iucunditas ineſt. Venatio, quae, magnos canibus ſaltus circundando: varias ſpecies terreſtrium beſtiarum,vel cicurum,vel ferarum,per inuia luſtra ſectando,excitando, agitando: laqueis & plagis in iugis montium irretiendo:eminus arcu,ſagittis configendo:cominus haſta,ſica vibrando:corporum conflictu,fulgenti gladio,ſtricto mucrone ſauciando, fructus hilaritatis multiplices habet.Ac piſcatus,ex quo,alnis cauatis,humida retia pelago trahendo: latum funda amnem verberando: grandiores piſces nantes in gurgite ponti, ne dum fluitantes, & innatantes in fluuiis paruos piſciculos prehendendo: venenatis eſcis inficiendo: dulcibus in ſtagnis, viuis, naſſa, hamo, & aliis mille modis capiendo, voluptas percipitur, quae

ſuauitate naturam ipſam mouet. Aucupio quidem, licet aliquantulum oblecteris, amplius tamen venatione, at multò etiam magis piſcatu. Quod quoniam habent ſua quaeque ſydera oblectamenta, quemadmodum non ignoras: non ſecus ac omnis ſtella, vt palàm eſt, ſuam peculiarem naturam aſſequitur, vt centies Ptolemaeus inquit, & Caeſar Euolus Neapolitanus de diuinis attributis diſſerit: non niſi à conuenientia, ac συμπαθείᾳ quadam naturae, cum eius, circuli obliqui nouiſſimae formae, non ſolùm dodecatemorio, ſed & oriente decuria euenire poteſt. Cum vetuſtiſſimorum Mathematicorum ſententiae conueniant imagines, atque Simulachra, quae cum ipſis quidē oriuntur decuriis, Graecis παρανατέλλοντες nominata, in geniturís, natalitiiſque ſtellarum decretis plurimum conferre. Qua de re Magnus ille Heros, qui te genuit, ac perbellè medius fidius exemplum ſuppeditat. Qui cum partem, in altero, ex binis Capricorni mediis, quod ad beſtiae aquatilis formam effingi ſolet, locatam, aſcendentem haberet, non minus, (quod tute facis) piſcatu oblectabatur, quàm venatione Cyrus olim Perſarum Rex: qui in ea admodum delectabatur, quemadmodum à Xenophonte, qui eius res geſtas clariſſimis monumentis conſignauit, memoriae propagatum eſt. Et idcirco in hac ipſa ſententia ſcripſit Leopoldus Auſtriacus, tract. ſeptimo cap. 2. *Formae quales aſcendunt hora natiuitatis: talis erit ille qui naſcitur.* Et rectè quidem, cum *à concordia ſubſtantiarum ſuperiorum, res inferiores temperentur:* vt Zael Iſmaelita Aſtrologus in alia ſententia inquit: & quemadmodum etiam

tiam Meſſahala ante eum voluiſſe videtur, cum ſcripſit: *Omnis creatura, & vniuerſa, quae ſunt ſuper terram efficiuntur à motu vniuerſorum, quae ſunt ſuper terram.* Hanc enim aſſumptionem, à virtute ſuperiori, regi inferiora, veram eſſe: non ſolum Aſtronomorum ſchola aſtipulatur, & Philoſophus cum in pluribus locis comprobat, tùm in primo Metheororum teſtatum relinquit: ſed & probatiſſimi quique Theologorum, ſecundum cauſam generalem concedunt. E quorum albo Diuus Thomas, in ſuis, ad Cypri Regem, de regimine Principum libris. *Propter quod* (inquit) *in omnibus, quae in vnum ordinantur, aliquid inuenitur alterius regitiuum. In vniuerſitate enim corporum, per primum corpus, ſcilicet cœleſte, alia corpora, ordine quodam diuinae prouidentiae reguntur.* Et libr. 3. contra Gent. cap. 83. *Tametſi* (inquit) *Deus quo ad ordinationem, omnia per ſe ipſum diſponat: quantum tamen ad executionem, inferiora per ſuperiora diſpenſat.* Quod & S. Dionyſius voluit Areopagita, pluribus antea ſeculis, (vt cæteros innumeros ſummae auctoritatis ſcriptóres mittam) cum diuinam cenſuit prouidentiam, poſuiſſe hunc ordinem in rerum natura, quod inferiora regantur per ſuperiora, & minus nobiliora, per nobiliora magis, & non è conuerſo. Tantum abeſt, vt iam dictas, ſignorum principis partes, aſcendiſſe credendum ſit. Et tanto minus ſextam ſupra vigeſimam ducis gregis partem, iuxta tempus Iunctini: Qui in ſuo Aſtrologiae Speculo, in quo permulta, tum de iudiciis natiuitatum, & earundem re-

uolutionum, tùm de ſtellarum fixarum obſeruationibus, ac de ſupputãdis planetarum motibus, ratiocinatus eſt: in Calendario Aſtrologico, rem, quae eſt in opinione multorum ſequutus, ſcribit natum, hora ſexta & minutis quinque poſt mediam noctem. Vt ſic ambo in cacodemone lumina eſſent: quod Ptolemaei traditionibus non conſonat, libr. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 3. Cum nec perſonae tanti principis quadret, nec fortunae parentum reſpondeat. Quippe cum ille locus, cuius Aſtrorum, ibi commorantium, in terram effluxus, cum etiam ab angulo praecipitetur, turbat, ac veluti abolet, quae ex terrae humoribus naſcitur fumoſa tenebricoſitas, fortunae partem contineat: ſi vt Ptolemaei ratio dictat fortunae pars colligenda ſit. Qui non vt Arabes, qui in genituris quidem diurnis, à Sole ad Lunam: in nocturnis verò à Luna ad Solem, diſtantiam ab aſcendente eiiciunt: vt per Alchabitium diff. quinta, & per Auenares in Introductorio cap. 9. Vbi refert opinionem ſapientum Indorum, & Meſſahalae, cuius ſentẽtiam adducit, ex libro experimentorum. Sed vbique nocte non ſecus ac die, à Sole, ad Lunam capiendam, atque ab aſcendente parte numerandam praecipit, lib. 3. cap. 12. & lib. 4. cap. 2. Si etiam, vt ambo, in loco mali genij, luminaria conſtituta fuiſſent, acceſſiſſet: tametſi cardinales, ſatellites maleficae, in domo & exaltatione ſua eſſent: quibus in locis, & perficitur iudicium, & voluntas nati, & completur quod vult fieri, vt in ſuo Centiloquio Bethem Arabs inquit, enunciato 15. non tam magna poteſtas decreta fuiſſet, nec adeò illuſtris & luminoſus, & tui, & parentum

ſtatus

ſtatus ſignificatus fuiſſet. Sicut eiſdem luminibus in Oriētis cardine collocatis, in quo Sol praecipuè inuentus, principatum, ſublimitatem, & magnitudinem rerum ſignificat: vt habetur in libro Regum, de ſignificatione planetarum in principio, & bellè ſanè in propoſita quaeſtione apud Cardanum aphoriſmo 132.ſegmen.6. cum inquit, *Apti ad regnum ſunt, quibus Sol eſt in prima domo, aſcendens autem ex quatuor ſuperioribus.* Quibus non ſolum ſuffragatur, quod quae tenebris, quaſi diem efficit Diana,in Aſtrorū Regis imperio ſita, ac alteri fortunae continens, tum ἀνατολὴ, principatum, ea ſtatus conſtitutione, & locatione portenderet, ad Graecorū & Arabū ſententiā:& vt triāguli,exorientis ſimulachri, ſiue adminiſtra,ad Arabum doctrinā,ſiue vt noctu ſocia adminiſtrationis aſcita,ad Ptolemaei ſēſum,nati delectationis,voluntatis,& dilectionis indicās eſſet,vt dixit Alendezgod:ſed & doctrina Ptolemaei fauet,qui ad magnitudinē decretorum,praeter caetera, ſpectare inquit li.3.c.3.ſi ſtellae generi quaeſtionis familiaritate coniunctae, non ſolum quo ad mūdi ſtatum,ſed etiā pro geniturae ſitu valētes ſint. Validiſſimas autē,tū pro geniturae ſitu,vires habere, cum in angulis, aut locis ſuccedentibus ſpaciantur: ſicut è contra imbecilles, cū ab angulis cadunt. Sed nec inauditum,aut cuiquā nouum videri debet,ſi de tuaSereniſſime Princeps,Coeli ſtructura conſtituēda, Aſtrologi diſſentiāt, cū ſaepenumero id vſu venire ſoleat: ſicut in Catholici Regis Philippi Hiſpaniarū genitura contingit. Qui cum duodecimo Calen. Iunij,labente anno Virginei partus 1527.in Val-

le Doleti natus sit, vbi verisimile est, nō defuisse, qui horam ad momentum obseruarent: cum eo temporis interuallo nasceretur, quo rota candens Solis, medij inter septē planetas, vt Hermes, Babilonij, Indi, & alij antiqui sapiētes posuerūt, à linea Medij Coeli, ad Occasum cōmearet: de eius tamē tēporis ortu, nō modica inter Astronomos dissensio est. Si quidē Lucas Gauricus in suis Principū virorū genituris, quas superioribus annis, in eius de rebus Astronomicis libris, imprimi curauit: Regis tēpus natiuitatis, in horas duas cum scrupulis 48. post meridiē cōstituit, decima quarta parte librae horoscopante. Cum Valentinus Nabod, qui non solum Coeli figuram, ex tabulis directionū Monteregij, & iuxta modū aequalem, à quo iudicia Arabū pendent, atque ex alia sui ipsius sententia erexit: secundum quā succedentium, & cadentium domorū cuspides, à figura ex tabulis Monteregij erecta, variantur: sed & loca planetarū, ex Prutenicis tabulis, (quod & nos in tua genitura fecimus) supputauit: horis tribus, cum scrupulis 47. à meridie elapsis, septima supra vigesimā parte librae exoriente, eiusdē tēpus natiuitatis statuat. Ac Frāciscus Iunctinus, in suo Calendario Astrologico, Ioānem Garcaeum sequutus, hora quarta pomeridiana cum quadrante, natum scribat: ad quod datum tempus, secūda Scorpij pars, ad latitudinem Vallis Doleti, supra horizontem emersisset. Sed vt Comicus inquit

Quot capita, tot sententiae.

Alterum argumentū, quo medio, quod supra per me conclusum fuit, sic vt praemisi, se habere, pro cōperto habui, fuit aphorismus primus supra quinquagesimum Cētiloquij: in quo habetur doctrina, quae

ab

ab Hermete Philoſopho fluxit, circa inueſtigationem gradus aſcendentis ignoti. Quam qui multo aetate Hermete poſteriores fuerunt Aſtrologi, ſiue trutinae inſtar, per quam, non modò apud exteras nationes, & gentes, ſed & âpud Romanos, ab initio Vrbis conditae, ante aes ſignatum, ſolui ſolitum, veſtigium vſque ad tempora, quae eius ſummae rei publicae euerſio conſecuta eſt, manſit in aede Saturni, cum ea etiam tunc propter penſuram, trutinam haberet poſitam: ſiue ad popularis trutinae exemplar, Trutinam Hermetis vocare conſueuerunt. Secundum quam ad maiorem dilucidationem, tuam natiuitatem examinare, & explicare intelligo, vt appareat vltima reſpondere prioribus. Secundum igitur tempus natalitium, quod ſupra eum horarum numerum, qui Palladi ſacer habetur, dena quina horae parte, octonis quinis particulis demptis, ante meridiem propoſuimus, vt in natali themate, inferius, iuxta modum Monteregij, qui cum Ptolemaei ſententia & veritate magis cõſentit, deſcripto: cũ omnium maximè, terris finitima ſtella, quae noctu, non interdiu, quãdo maiori lumine offunditur, lucet: propter vnius gradus latitudinem Auſtralem, octaua (vt opinor) parte minus, ob decẽ graduum cum quadrante diſtantiã, qua à nodo euehente aberat, prouenientem: non vltra partes tris, ſupra finitorem Orientalẽ reperiatur: dicimus cunctationem in vtero matris, media mora, ad vnguem, fuiſſe, vt ſic in ſeptimum Calend. Iulij, tempus ſationis cadat, quod eſt humanae geniturae exordium, ſiue conceptionis, vt aliis placet, iuxta ſchema conceptionis, ſiue ſationis, in-

ferius à nobis deſcriptũ. Quo tempore, cũ medium, intra certos fines labentium, alterum lumen tempora diſpenſans, in ſcrupulo ter ſeno, ſecũdae, ſupra bis ſenas, partis, peremptae ab Hercule, dum cum Hydra pugnaret, belluae, enecaret: cui aſcẽſionis rectae, partes quaternae, ſupra decies nouies, & centenas, cũ binis, & bis duodenis ſcrupulis, à tropico hyemali incipientes congruunt. Alterum verò, quod aërem ſecans, curſus terram proximè ambit, in poſitura natiuitatis, in quina parte, bis ſenis partibus aggregata, cum ſcrupulis bis duodenis ꝑ ximis, ſyderis aquoſi, vltimae formae fulgeret: quibus flexuoſae aſcenſionis, partes ternae, ſeptenis quinquagenis partibus adiunctae, cum ſenis ſcrupulis, ab aequinoctio verno reſpondent. Subtracta, ex obliqua, recta aſcenſione, binae ſupra centenas, & ſeptenas octies partes reſtant, cum quinis octonis ſcrupulis. Quae horarum numerum completum, ſupra quem, nihil, niſi per replicationem numeratur, & quinos ſeptenos ſcrupulos conficiunt. Vt ſiue ſationis, ſiue conceptionis tempus, ſeptimo Calend. menſis Quintilis, eo horarũ numero fuerit poſt meridiẽ. Quãdo particulae bis duodenae, ſextae partis, ſupra bis ſenas, eius, quã nãtes gemelli imaginẽ cõficiunt, Hecatis natalis loc⁹ in ortu cõſtiterãt: & ternas octies, & alteri⁹ partis dextãtem, quas eiuſdẽ effigies, ordinis, hora natalitia, iã ante finiẽtẽ proſiluiſſe, cõſtituim⁹, Hecates peregerat. Secũdũ ea, quae, de aſcẽdentis inueſtigatione, per Trutinam Hermetis, quae, vel aurificis peraequa ſtatera, iuſtius librat, tradita ſunt. Et iſtuc enimuerò, nõ ex vulgatis Stofleri ſolũ Ephemeridibus, ſed & ex

Rein

Reinholdi etiã tabulis Prutenicis. Cũ quib⁹,tùm auricomi Phœbi,& cruorũ iaculatricis Artemis,tẽporis satus,tùm eiusdẽ venatricis,natiuitatis,faciũ loca, ex calculis coelestiũ motuũ,qui circũferũtur, deprompta, mirandũ in modum cõgruere cõperi. Cũ vtrisque temporibus, tàm ratione meridianorum quam ratione aequationis dierum correctis, ac propterea Astronomicae aequalitati conformatis, industrius planetarum loca,ex iam dictis tabulis,atque accuratè supputaui. Vt tandem,miro certe consensu,rebus praecipuè Astronomicis minimè initiatis:siue Ptolemaei doctrina de gradu cardinis exorientis perquirendo, quam in quadripartita de iudiciis Astrorum constructione, tradidit: siue auctoris Centiloquij,quod Ptolemaeum itidem composuisse plures perhibent,sequenda sit: eadem orbis signiferi pars, eodem puncto temporis ascenderet. Et temperatae naturae Iupiter, qui, fortuna maior, inter Genethliacos, haberi solet: quique ab omnibus scriptoribus, ne dum à vetustissimis, prisci temporis Poëtis, decenti vbique epitheto,sospes,seruator, hospitalis, beneficus,salutaris,benignus, nec nõ pater Diuumque hominumque nuncupatur:non loci natae Dianae solùm (eam enim quondam, ex fratris patruelis filia, Coeli pronepte, eius, ob egregiam formam, amore captus, ius connubij, quod castum, cum socia regni regina Iunone, esse debuerat, violando, suscepit,)sed & culminantis,& ascendentis signiferi partium herus,in signis, spiritu & foecũditate praestantibus,constitutarum, eiusmodi nati affectiones, cuiusmodi ipsi conueniunt ostenderet. Quae &

ſuaptè natura, tùm ad exaltationem, dignitatem, & celſitudinem ſpectarent, vt ab auctore Centiloquij aphoriſmo 37. in principio, & aphoriſmo 77. in finalibus verbis expoſitum fuit: tùm *ad recta iudicia iudicandum, & pacem inter homines mittendum aptae eſſent:* ipſius enim Alchabitij, qui Arabum doctrinam tradidit, diff. 2. verbis vtar, ſiue potius Ioannis Hiſpalenſis, qui Alchabitij librum ex Arabico, in latinum conuertit. Vt mea quidem ſententia, neſcio quo numine afflatus, ſuperioribus annis Magnus ille Amuratus Turcarum Imperator, cum lectiſſimae tuae quaedam triremes, magna damna Turcicis, & Hebraeis nauigiis, in Oriētis mare inferrent: literis humanitatis plenis, quibus amicitiam pollicebatur, ad te ſcriptis, inſcriptioni inter caetera nomina, quibus te appellauit, addiderit. CAVSARVM INTER NAZARENOS COMPOSITORI. Ita illorum inſcriptionis verborum ratio, proprietatibus corporis, ac morum naturalibus cauſis, qui corporis ſequuntur temperamentum, eſt conſentanea. Ad ea, quae habentur per Ptolemaeum lib. 2. cap. p°. & per Galenum eius contemporaneum, in libro, Quòd animi mores corporis temperaturam ſequuntur. Quibus, (ſi libet) addi poteſt, quod Hieronymus Cardanus in expoſitione Emari Ranconetti, ſenatus lutetiani praeſidis, geniturae, de moribus loquens, iudiciorum Aſtronomiae ſtudioſis tradidit, cum inquit, *Mihi praeterea videtur, ratione & experimento conſonum, quòd dominus aſcendentis plurimum poſſit in morum qualitate, quoniam animi*

animi mores corporis ſequuntur temperamentum: aſcendens autem & eius dominus corporis qualitatem ſignificant. Quod ipſum Cardanus à clariſſimo inter Arabes Albohali mutuatus videtur: qui de iudiciis natiuitatum, cap. quinto ſcripſit. *Quando ſcire volueris mores nati, aſpice dominum aſcendentis.* Et licet Haly, (vt ad Trutinam redeamus, vnde digreſſi ſumus) non partem Lunae temporis conceptionis, ſed ſignum tempore natiuitatis aſcendere putauerit, ſicut & Cardanus inquit. Dicimus tamen multorum doctorum virorum cõſenſu, partem lunae, per iam dictam Hermetis Trutinam inuentam, eſſe partem, quae tempore natiuitatis ſupra horizontem emergebat. Hoc voluit Abrahamus Auenaris ſupra citatus in libro natiuitatum. Voluit Albubater libro de natiuitatibus cap. 3. Voluit Leopoldus Auſtriacus de Aſtrorum ſcientia tract. 7. cap. 2. Voluit Guido Bonatus de natiuitatibus, & earum accidentibus prima parte cap. 2. 4. & 6. Voluit Valentinus Nabod in Colonienſi Academia Mathematicorum ordinarius, in ſuis ad Alchabitium enarrationibus diff. 4. Et ante eum Ioannes de Saxonia in gloſſa ſuper textu de Annimodar, qui viam hanc verum inueniendi aſcendens, ſecundum intentionem ferè omnium ſapientum, veram eſſe affirmat. Nec non & Petrus Turellus, qui gloſſae ſubſcribit. Voluit Ioannes Garcaeus in ſua Methodo. Ac Ioannes Baptiſta Carellus, & Ioſeph Moletus in eorũ Ephemeridibus. Et idem etiam pluribus antea ſeculis, cenſuit Petoſiris Aegyptius Mathematicus inſignis:

ſicut Georgius Valla Placentinus in ſuis expetendarum,& fugiendarum rerum libris,profert, lib.19. & Aſtrologiae 4.cap.51. Et hoc ipſum nouiſſimè inueni ſenſiſſe Lucium Bellantium, in ſuis de Aſtrologica veritate quaeſtionibus: & magiſtrum Ioannem Ganiuetum, in eius libro, qui Amicus Medicorum inſcribitur,diff.3.cap.2. Cuius quidē Ganiueti,quoniam tantum Trutinae tribuit,quantum tribui plurimum poteſt, placuit verba annectere, quae ſic ſe habent *Haec doctrina tradita in Centiloquio, ſecurior eſt,quàm alia de Quadripartito, in quaerendo Annimodar natiuitatis, per multiplicationem dignitatum eſſentialium planetae fortioris in loco cõiunctionis,vel oppoſitionis immediate praecedentis.Et haec via operandi eſt facilior, habentibus vera planetarum loca, ad magnum tempus, & expedit Aſtrologo. Et vltra hoc, ſeu vltra natiuitates ſpeciei humanae,eſt via generalis in cunctis ſpeciebus animalium, ſiue ad tres menſes, ſiue ad maius,ſiue ad minus. Iſta eſt regula generalis, ſic certa,quòd non fallit,niſi eſſet abortiuū. Quod ſemper ille locus de circulo nonae ſphaerae,ſub quo eſt Luna hora caſus ſeminis, eſt gradus Coeli aſcendentis,cuiuſcunque animalis,qua hora egreditur ab vtero matris. Et ſic reuertendo doctrinaliter ad natiuitatem hominum, per horam natiuitatis:poteſt ſciri hora generationis, & mora foetus in vtero matris, & multa alia accidentia circa praeſen*

praesentem materiam. Et hoc etiam de parte Lunae, non signo, videtur voluisse Pontanum, in expositione iam dicti aphorismi quinquagesimi primi, quamuis non audeat affirmare. *Cum Ptolemaeus* (inquit ipse) *signum dicat non gradum.* Quod equidem verum est in Graeco Codice, in quo aut mendum, aut vitium esse, sunt qui opinentur. Quod vel ex eo colligi potest, quòd non solùm per Arabes, sed & latinos Astronomos, gradum illum tempore conceptionis horoscopasse, in quo geniturae tempore Luna fuisset inuenta, experientia comprobatum est. Quibus accedit, quòd in Arabico Codice, non signum, sed locus in aphorismo reperitur expressus. Ac propterea quid Pontanus nutet, nos non curamus, aliorum doctissimorum Astronomorũ auctoritate freti. Cum opinio, quòd proprius gradus, non signum, ascendat, sit communis, & magis recepta: vt apparet ex numeratione vtramque opinionem tenentium, quemadmodum in similibus Iureconsultis fandi mos est. Tùm quia huius sententiae, quicquid Picus dicat lib. 9. cap. 4. Hermetem fuisse, ipse Pontanus hisce verbis refert. *Hermen rerum coelestium antiquissimum scriptorem tradunt affirmasse: illum ipsum Coeli gradum horoscopare tempore geniturae, quem conceptus tempore Luna tenuisset. Rursumque gradum illum tempore conceptus horoscopasse, in quo gradu geniturae tempore Luna fuisset inuenta.* Pro vt idem etiã refert Auenaris Iudaeus dicens. *Dicit Hermes, Locus lunae*

ſemper hora natiuitatis, eſt gradus aſcendens hora emiſsi ſeminis: & gradus aſcendens hora natiuitatis, eſt in quo fuit Luna hora eiecti ſeminis. In hoc enim ſi ſciuerimus horam eiecti ſeminis, ſciemus horam natiuitatis: & ſi ſciuerimus horam natiuitatis, poſsumus ſcire, quando eiecti ſeminis hora fuit. Quod nos vtique verum proferimus, ſi natiuitas, nec ſeptem, aut vndecim menſium ſit, nec violenta exiſtat: vt à caſu, vel libera voluntate pendeat, vt percuſſione, vel inciſione: & ſi ſecũdum naturam partus edatur, non autem ex aliqua cauſa, quae validam matri, vel conceptui noxam inferre potuerit. Quales ſunt, ex manifeſta quidem occaſione prodeuntes, caſus, ſaltus, curſus, ira, clamor fortis, fletus, moeror, parcior victus: ex internis verò, febris vehemens, dolor, citata aluus, ſanguinis vndecũque emiſſiones, tineſmi, tuſſes, inflammationes, & aliae huiuſmodi pleraeque: ſicut ex Hippocratis in ſectione quinta aphoriſmis, & aliorum tàm Arabum, quàm latinorum medicorum monumentis accepimus. Tunc enim neceſſaria ſententia non eſt. Cum & in pluribus regula euenire ſoleat, quemadmodum caeterae omnes Aſtrologicae ſententiae: & omnis ratio ad naturalem partum referri debeat. Atque hoc etiã de Ptolemaei doctrina de parte horoſcopante, ex libro Apoteleſmatum, intelligendum eſt: vt neutiquam in violenta natiuitate, regula Annimodar ſibi locum vendicet: cum Ptolemaeus de partubus agat, legitimo, & maturo tempore, ſecundum naturam editis. Quod cum Cardanus non animaduer-

tiſſet, in ſupputanda Odoardi Principis, Henrici VIII. eius nominis, Anglorum Regis, genitura, locum decimae μεσουράνημα Graecè dicitur, ex Saturni ſtellae partium numero, quae in praecedenti natiuitatem, luminarium coniunctione, ob trigonum, & altitudinem, principem locum tenuerat, in decima ſeptima Tauri partè conſtituit. Cum Odoardum, ab vtero matris exciſum eſſe cõſtet, ſicut ipſe etiam Cardanus refert. Ac propterea tempus potius aeſtimatum, quo nimirum caeſo ventre matris, in lucem proditus, creditus fuerat, attendendum eſſet. Quapropter haud immeritò à Ioanne Stadio Cardanus reprehenditur, quòd Ptolemaei auctoritate abuſus fuerit. Tametſi quid Stadius commeruerit, erecta Coeli figura, ſecũdum illius Principis mortis euentum, aliorum ſit iudicium. Quamobrem & per iam dicta, & Pontani, & Auenaris verba, ac multorum aliorum ſapientum Aſtronomorum, quos & referre poſſem, & eorum dicta in medium adducere: non ſolùm patet ad obiectum de ſigno reſponſum, ſed liquidò etiam conſtat, quantum Cardanus, vir alioquin in Mathematicis diſciplinis excellens, dùm alios falli arbitraretur, ſit deceptus: putans natiuitatem cum generationis tẽpore non concordare, cum ſcripſit in eius commentariis. *Multi Aſtrologi decepti ſunt, quaerentes nodum in ſcirpo, dum quaerunt concordiam natiuitatis cum generatione.* Cum enim tria ſint hominis principia. Quorum primum eſt fieri eius, per ſemen ſparſum in concipientem comprehendentemque naturam. Et primo

quidem, non ſolum ex mundiori ſanguine, ſed & ex ſubſtantia omnium membrorum compoſiti: ſicut princeps Medicorum Hippocrates teſtatur, & in medium adductis argumentis, comprobat Venerabilis Beda. Secundo verò, nõ modo maris, ſed etiam foeminae: quicquid quaedam aliquoties ſagae mulierculae garrire ſoleant, quae ipſis inuitis, ne dum abſque eo, quòd nec calculos eiecerint, vel ſoluta ab illis fluxerit Venus, concepiſſe aliquando, valdè aſſeueranter affirmant. Cum licet interdum, placidum cum vir petit

Coniugis infuſus gremio per membra ſoporẽ, inſuauis ex non ſcripto lex cubilis, quam λέκτροιο θεσμόν Homerus nuncupauit, & iniucunda initio eſſe poſſit: quoniam in fine tamen, cùm propter imbecillitatem humani generis, & naturae communis fragilitatem, vt quae

Occultam inſpirat flãmam, fallitque veneno, pergrata, perque iucunda accidit: tùm ob amores, ac cupidines, qui in ea inſunt, haud ſecus, ac in ceſto Aphroditae, diſcolori balteo, quem ab ipſa ſummi Iouis filia, coronata Cytherea, iam vſque à teneris (vt Graeci dicunt) vnguiculis, quae ſola inflexit ſenſus, mea ASTERIE acceptum, abditum gerit in ſinu, arridet: & ſuam etiam mulierem, in mutuo complexu, (ex quo maiorem foeminae generatim voluptatem percipiunt, quàm quam mares capiunt, vt Thebanus ille Tireſias arbiter iudicauit,) Venerem, aliquo modo, ſi concepit, eiaculaſſe neceſſum eſt. Illa enim, vel (quod veteres plerique Philoſophi, vt Pierius protulit tradidere,) vt ex ea virili circunfuſa,

caro in embrione fiat, ſicut ex virili oſſa gignuntur, neceſſaria exiſtit: vel tanquàm materia, vt viri tãquã forma, ſecundum magis communem doctorum & intelligentium opinionem, ad ſerendum hominem concurrere oportet. Ne aut fruſtra, à rerum omnium parente natura, quae nihil fruſtra agit, ſexui muliebri Venerem, teſtes, ne denique fruſtra ipſa vaſa Venerea aſſignata: aut illecebrae tantùm voluptatis gratia, attributa eſſe videantur. Tam procul à vero eſt, & dictis, & aliis de cauſis, vt quod, de ſua vicina, fictè, & fallaciter, ſicut credere lubet, Auerroës narrat, contingere potuerit: vt in balneo ſcilicet aquae calidae ingreſſa, in quo quiſpiam fortè ludum luſerat, quem continentiſſimus olim Diogenes Cynicus luſit: cum amicam ad ſtatam horam oppertus, illa remoram faciente, ſolus Hymenaeum celebrauit: calculos, ob validam attractionem, intra pudicum ſecretum ſuſceperit, ac vlla abſque delectatione, vllaque propria concurrente Venere, vtero geſſerit. Secundũ eſt, eſſe hominis facti, per animae intellectiuae infuſionem: cum poſt fœtus articulationẽ, noua à Deo creata anima, non antea formata, vt quidam perperam autumabant, aduenit, qua maſſa illa homo fit. Tertium eſt, exitus ex vtero: cũ iam omni ex parte perfectus, iam natus homo, iam matris officia implorans, munus nutricationis expoſcit: & conſuetum ſanguinem, quo in ventre concretus & altus eſt, à calore & ſpiritu multo, ad ſupernas partes, aduentante partus tempore tranſlatum, & per anfractus, & multos viarum flexus, in album colorẽ commutatum, à mammarum vberibus ſugere concupi-

 ſcit.

ſcit. Quid quaeſo conueniens naturae magis, & conſonum eſſe poteſt: quàm vt primũ & vltimum, ommiſſo medio, quod altioris eſt indaginis, nec illud Aſtronomus conſiderat: ſic inuicem reſpondeant, vt altero eorum cognito, in alterius etiam cognitionem peruenire poſſimus? ac

Qui vtrumuis rectè norit, ambo nouerit?

Quod vt planius fiat, non ſolùm per horam natiuitatis, poſſe in aſtrorum ſtudiis, doctriniſque verſatum, horam generationis ſcire, affirmamus: ſed & illico poſtquàm mulier cócepit: quod ex pluribus perſpectum eſſe poteſt, vt ex ſurculi, per quem ſpecies propagines, & quaſi traduces feruntur, ſuctione, vomitione, & aliis ſymptomatibus: per ſationis tempus, ſi vel caſu, vel data opera obſeruatum ſit: & morã fœtus in vtero, & diem & horam, qua fœtum nixibus edet, praeſagiendo fari, ex ſupra deductis, & potiſſimum ex doctiſſimi Auenaris Iudaei ſentẽtia, firmiſſimè aſſeueramus. Cum enim lecti genialis, quis conſuetudinis tempus, ac momentum emiſſae Veneris: quae quidem ſi intra horas ſeptem, non fuit in effuſionem prolapſa, haeſiſſe in vitam pronunciatur: diligenter adſeruauerit, vel de die & hora conceptionis: quae incipientibus, vel deſinentibus menſtruis rationibus plerunque contingere ſolet: à perita muliere, quae cum aurea Venus, quam gremio fuſam excepit, non effluat, facilè ſe grauidã eſſe, cóiectura aſſequi, & de tempore interrogata, verè reſpondere poteſt, certior factus fuerit: erecta Coeli figura, per quam nó modò, quae ante partum, vſque ad horam exitus infantis de vtero, contingere poſſunt, praeſciri

ri poteſt: ſicut Guido Bonatus putabat, tractatu de natiuitatibus par. 1. cap. 2. in cuius ſententiam, cùm ab aliis, tùm à Franciſco Iunctino, viro in rebus Aſtrologicis diu multumque verſato, pedibus itum eſt: cum in ipſo ſui Speculi primordio, eiſdem fermè, quibus Bonatus verbis vſus. *Principium eſſe hominis, per caſum ſeminis in matricem, accidentia ab hora caſus ſeminis, vſque ad horam natiuitatis reſpicere,* (dixit) *& in hora natiuitatis expirare:* ſed & corporis, & animi peculiares conditiones praeſagire licet, vt Ptolemaeus affirmat, omnium quot ſunt, quotque fuere Mathematicorum Coryphaeus,

Quotque poſt aliis erunt in annis:

locisque tùm Lunae, tùm aſcendentis commutatis, vt locus Lunae Oriens ſit, Luna verò in parte exoriente conſtituatur: dierum primum morae numerũ, ex Lunae thematis poſitura elicere: ſubductaque deinceps, vti ratio poſtulat Arithmetica, de obliqua exorientis partis, temporis ſatus, aſcenſione, à Veris aequinoctio orſa, extremi dies morae, loci Solis, recta, à tropico brumali: non aliter, ac ſi per horam natiuitatis, tempus generationis ſcrutari velit: non horam duntaxat, ſed & momentum etiam pariundi, deducere poteſt. Et ratio ſanè, quae, vt ita credatur, impulit, ea eſt. Quoniam cum Luna, quae in infimo orbe, terram propè contingens, ſiue ſuo lumine, ſiue Solis radiis accenſa conuertatur, omnium ſtellarum praecipua, tantum in iſtis inferioribus efficacitatis habent, vt in rebus omnibus humidis dominetur, qualia ſunt, omnia

quae oriri incipiunt: tùm vel maximè, quoniam ob eius accretionem, & diminutionem corporibus assimilis est, & in ortu hominis, & seminario, in quibus multum, & plurimum potest, vires exercet suas.

Haec in presentia Serenissime Princeps, de simillimis, & maximè geminis Ptolemaei Quadriparti-ti, & libri fructus, veris, rectisque si connubio iungātur stabili, decretis: quae & θεωρήματα, & δόγματα appellare possumus, ad dictorum confirmationem, dicta sufficiant. Quandoquidem tùm de Hermaphroditi progenitoribus, quod Phoebes maturent opus, & de signo opposito, quod quaeri solet: tùm de ea parte, in qua in maiori luminum longinquitate, inferioris expletio intuētibus accidit, an omni tēpore, alterius superioris parti praeponi debeat, & aliis huiuscemo di: quoniam non est nunc, cum non sint praesentis consultationis explicandi locus, alias agemus, sicubi ansa dabitur, vt in aliam rem accommodari possint. Quaeremus autem, praepositis quaestionibus, an ad artificium, siue eius agnitionem necessariae existāt: & an vtiles vel conducibiles indagabimus. Si tamen in hoc genere operam nostram subcisiuam, quantu la ea cunque sit, non aspernabere.

Duo igitur Astronomiae praecepta, firma, stabilia, inter se nexa & iugata, ac coniuncta naturae: quo rum vnum, in Lunaris cum Sole coitus, siue aduersae positionis contemplatione consistit: alterum in tēporis iactus seminis, consideratione versatur: quae ad id, quod primum, ac praecipuum erat, momentū nimirum horae natalitiae indagandum, erant necessaria, satis à nobis, vt arbitror, sunt explicata. Tertium

tium enim, quod ex iis, quae contigerunt, ad verum inueniendum ascendens, solet assumi: nos cùm aliis de causis, tùm quod à neotericis potius, quàm ab antiquis sit obseruatum, consultò omittimus. Nam neque ex antiquis Arabum quisquam, aut Iudaeorum, huiusvnquàm rectificationis quidquam scripsit: nec eiusvsquam Ptolemaeus meminit, quem nos omniũ Astronomorum principem, auctorem habemus. Et quamuis Cardanus Ptolemaeũ praesupponere asserat, effectus obseruandos, dirigendos, & iuxta illos genituram constituendam, dum inquit in c.2. lib.3. *Sed Ptolemaeus praesupponit, quòd quilibet debeat vti omnibus auxiliis, quibus potest, ad veritatem indagandam: ob id si effectum aliquem habeas, Ptolemaeus vult, vt pro principali illum obserues, dirigasque, & iuxta illum genituram constituas.* Nos tamen, qui de legùm studiis, quod nobis temporis datur, plurimum cùm in aliis, tùm in his demonstrationibus conquiescimus: quoniam exploratis omnibus Ptolemaei dictis, nusquam inuenimus Ptolemaeum, aut de huiusmodi effectibus verba facere, aut aliquid simile praesupponere: modum habendi verum ascendens per accidentia Ptolemaeum praetermisisse affirmamus. Pro vt etiam ipse met Cardanus sibi cõtrarius sentiebat: cũ paulo ante ea, quae adduximus, in eadẽ sentẽtia inquit. *Modus est, ex directionibus effectuum, qui consequuntur, hunc praetermisit Ptolemaeus, quia praesupponit natiuitatem proximam esse: immò*

nec quicquam scire Astrologum de nato, an masculus, an fœmina, an viuus, an mortuus, ne dum vt sciat, quae illi contigerint. Et huius sententiae Valentinum Nabod esse reperio, qui non solùm Ptolemaeum, sed & Alchabitium, modum hunc, verum indagandi ascendens, praetermisisse affirmat, diff. 4. cap. de Annimodar. Etiam si ipse Valentinus, modum hunc, figuram coelestem, cuius vis geniturae, per accidentia nati, verificandi, & docet, & comprobat, pro vt omnes neoterici Mathematici faciũt. Quos quoniam persequi negociosum esset, vnius tantùm Ioannis Paduanij Veronensis sententiam afferam: quoniam insigniter praeter caeteros, his, quae nos scribimus, contraria ac repugnantia sentit. Is enim in suo Mathematicorum Viridario, (sic enim inscripsit) tractatu quinto cap. 56. Modum figuram coelestem, cuius vis nati, facilè verificandi, docere professus: cum vnicum duntaxat modum, inter caeteros, verificandae figurae coelestis, qui à Mathematicis traduntur, per aliquod notabile accidens, idoneum censeat: propterea quod, (vt ipse dicit) *magis quadrare videatur Astrologorum praedictionibus* alios modos funditus repudiat. Nec tamen, cur sic opinetur, aliam rationem subiicit, nisi, *quoniam alij* (inquit ipse) *quantam falla-ciam ingerant, omnibus notissimum est.* Cum superius à nobis, non modò ratio dictorum, sed nobilitas etiã, & auctoritas summorum, in scientia astrorum, sapientum allata est. Quae nostrae intentionis, à nobis iacta fundamenta, etsi ad ea, quae intendimus

con

confirmare, & ad id, quod contra diceretur, refellendum, sufficere possint: inconueniens tamen, quod ex Paduanij dictis, consequens esset, adiungere collubet, vt meliusculè huiusmodi eius doctrinae

Spectandae, an exigendae sint nobis prius pernoscamus, & est tale. Quod si quae, tùm de Animodar, tùm de Trutina, pro verificandis genituris, sunt tradita, reiici oporteret, vna tantùm accidentium regula obseruata: illud profectò sequeretur, vt frustra infantium filiorum Maximorum Regum natiuitates, ad certum momenti natalis initium, Principum parentum iussu, reducere conarentur Astrologi. Sicut de Cardano, superius memoria repetebamus: qui Odoardi Principis, Henrici Anglorum Regis filij, recens nati, genituram, secundum Ptolemaei monita, ad conueniens & consonum naturae tempus aptare enitebatur. Cum enim minime omnium, verae natiuitatis initium, nisi per aliquod accidens, inueniri posse concederetur. Quod equidem, vt eo initio, tanta moles excitari posset, insigne, ac conspicuum esse deberet: & quod non dignitatis statum, aut alia cuiusquemodi, quorum rationem habent Astrologi, lederet: sed ipsius potius nati corpus afficeret. Vt si non tanquam Vlissi, ex luculenta plaga, quam illi albo dente, in crure aper inflixit: per quam postea à subulcis, ab Euriclea, ac tùm demum à Laërte, vigesimo anno, quàm ab Ithaca soluerat, agnitus fuit, cicatrix haereret. Si non vt Agamemnon, Hiphidamanta, & Coonte,

duobus Antenoris filiis interemptis, saucius è pugna discederet. Si non vt Philippus Amyntae filius alterum oculum, in oppidi expugnatione, sagitta confixus ammitteret. Vel vt Annibal in campis Hetruscis, quos per eos dies, solito magis inundauerat Arnus, Elephanto vectus, altero lumine caperetur. Euentum saltem, qualecunque contigisset, vt tergiuersari non posset, declararet. Et cum non nisi post multum, vt plurimum temporis, notabile aliquid contingere possit: quid enim generatim, in illis puerorum aetatulis, accidere vnquàm solet? Ni eorum quippiam, quae per rarò emergunt, in consequentiam trahatur. Cuiusmodi est illud, quod Oresti contigit, de quo apud Euripidem in Electra: & quod de Crœsi Lydorum Regis filio Herodotus in Clio tradidit. Alter enim mutus infans & elinguis habitus, sic, cum in patrem Vrbe Sardis à Cyro capta; Regem ignorans, Persa, vt occisurus, irrueret, diduxit os, clamare nitens, vt eo nixu, atque impetu, spiritus vitium, nodumque linguae rumpens, planè tum, & articulate, ne Crœsus perimeretur fatus, & postea toto tempore vitae eloquutus sit. Alter verò, cum iaculo puer hinulum domi persequens, cecidisset, cicatricem in supercilio habuit. Vel quale illud, (vt de tui ipsius domo, domestica afferantur exempla) quod genitori tuo, ea aetate, qua in cunis vagiebat, contigisse, accepimus: cum ab edita ruralium aedium fenestra, à Maria Saluiata matre, grauissima fœmina, id egrè ferente, in vlnas patris, eiusdemque aui tui fortissimi viri, sic iubentis, satis cum periculo, est coniectus. Et quale illud, quod tihi

bi olim antequam pubesceres, Serenissimo Principi accidit: cum eo ipso die, quo graue aliquod periculum, tuae ineunti aetati, imminere Graeculus Phisiognomon praedixerat, per regiae scalarum gradus delapsus, in agrestium olerum cistam, in calce scalarum, ad vitam tui tuendam, numine Diuum relictam, praeceps cecidisti. Non nisi etiam post multũ temporis, verae natiuitatis initium reperiri posse sequeretur. Quo quid obsecro absurdius dici, aut existimari potest? Cum non dicam eius discessus, qui tanquam migratio commutatioque praesentis vitae, quasi saxum Tantalo semper impendet: sed caeterorum etiam euentuum, qui humanitus accidere possunt, scientiam, quae ab ipso statim satu, ne dum ortu, (quantum Astronomiae ratio suadet) praesciri potest, temporum euertat.

Quamobrem haec sunt, quae de tua parte horoscopante, iuxta ea, quae doctissimi viri tradidere disseruimus. A qua, cum reliquarum, totius signiferi partium, situm pendere, manifestum sit: tàm si Arabum more Coeli structura distribuenda sit, qui signiferum in bis senas partes aequales dirimentes, modum aequalem sequuntur: quàm Graecorum, qui non signiferum, sed aequinoctialem circulum, qui ἰσονύκτιος, & ἰσημερινὸς appellatur, in dodecatemoria aequalia secant, atque respectu signiferi, planè inaequalia domicilia efficiunt: super uacaneum profectò esset, ad caeterarum Coeli mansionum explicationem sigillatim accedere. Suis igitur omnibus numeris, cum supra per nos deducta consistant: operae pretium facturum existimo, si & aliquorum

Principum virorum genituris eadem cõprobauerimus. Quamuis enim supra per nos firmatae conclusiones, tales sint, quales Astronomicarum propositionum resolutiones praecipiunt: ac scriptores à quibus eas exarauimus, eius sint auctoritatis, vt ratum habendum sit, quod iudicauerint: apertiùs tamen, & probabilius, quicquid supra exposuimus reddetur, si postquàm paucis rationem nostri consilij dedimus, etiam vno, atque altero exemplo ante oculos, vt res propè manibus tentari possit, perspicuè exprimemus. Ea enim est exempli vis, vt apertiorem rem faciat, cum id, quod sit obscurius, magis dilucidum reddat, probabiliorem, cum magis verisimilem.

IOANNES MEDICES auus tuus, qui anno aetatis vndetricesimo, magno rei publicae incommodo, sic immatura morte praeuentus, sui omnibus desiderium reliquit: cum septimo Idus Aprilis, anno salutis 1498. natus esset, sicut memoriae proditum est, triente horae ante meridiem: habuit trucis ferae, sub Herculeis manibus pressae, senam partem in Oriente, vnius, qui magna vertit, loci instar, in eius, qui ἀπαλλάττει τοὺς νόσους, parte dominantis, in praecedenti diurna, cum sorore germana, maiori seiunctione, quae in sexta, supra bis denas, parte Helles proditoris, fuerat celebrata, in qua domicilium Mauors habet, & fines. Licet enim trigonum, moderator & dux temporum, in cornigeri gregis ductore, & altitudinem habeat: eius tamen, qui in superiori agitatur

tur globo, partium numero vtimur tùm quod illius partilis locus, partus tempore, vicinior numero illi fuerit, qui iuxta aſcenſiones, in ortu extitit, vt Ptolemaeus docuit, cum duo, plurei ve ad Principatum aſpirant: tùm etiam, quòd ſecundum illius ductum, erecta Coeli figura, etiam cum Hermetis doctrina reſpondeat, vt mox oſtendam, quod ſecundum alterius partem contingere non poteſt, vt experti credimus. Haec de parte horoſcopante, iuxta Ptolemaei decreta, nunc ad Hermetis Trutinam deuenio. Lucifera erat in angulo imi Coeli, oſtendens, natum, maiori mora, ſeptem diebus minus, in vtero matris fuiſſe, vt ſic in eum diem, tempus ſationis inciderit, qui anni praecedentis, Calend. Quintilis fuit. Eius temporis, maioris luminis locus, cum altero natalis collatus, horas duas poſt meridiem, cum totidem primis ſcrupulis conficiunt. Tempus videlicet, quando in eadem ſena trucis ferae parte, tempore natiuitatis horoſcopante Lucina mouebatur, & eius gradus natalis in horizonte erat. Itaque cum Solem haberet vitae prorogatorem, horoſcopi herum, & ob trigonum, & contubernium οἰκοδεσπότην, in angulo Medij Coeli, in ſigno igneo, & quidem maioris infortunae finibus, Falcifero, cuſpidis, eius loci, qui ἄργος Graecis dicitur, & ſedis, & triangularitatis ratione dominantis, congredientem: Lunam praeterea in fouea planetarum, cum lance Auſtrali, naturae Saturni & Martis, magnitudinis ſecundae: vnde

vnde eiusmodi exitus periculum, quatenus ex astris coniiccre licet, imminere posse, videbatur: cum ascendentis partis directio ad Saturni trigonum peruenisset: neque equidem per partes aequales, vt dirigebat Albumaser, sed per climatis partes, vt Ptolemaeo, cum in apotelesmatibus, tùm in Centiloquio aphorismo 25. placitum est: quem sequitur Alchabitius diff. 4. Haly Heben Rodan super verbo 77. libri fructus: Messahala de receptione, capite in scientia vitae nati: Halialbensis tract. 4. cap. de attazir.: & multi alij cum eis, vt refert Mathaeus Guarimbertus Parmensis in tractatu de radiis & aspectibus planetarum, cap. 2. de diuersis opinionibus: & apheta per partes, ex circuli directi, & circuli regionis, ascẽsionibus mixtas, à Vergiliis, ad Hiades transitum faceret: malique tùm Solis, tùm Lunae, ac etiam ascendentis processus concordarent, inter nos esse desiit. Sed hic paucis, quoniam non me fugit, aliter à Luca Gaurico Episcopo Ciuitatensi, hanc genesim fuisse descriptam, respondendum censeo, si id quis fortassis obiiciat, ne quid intactum relinquamus: facilis enim ex iam dictis erit ad obiectum responsio. Si quidem cum Gauricus ad Octauum Idus, vltra dimidiam partem horae serius tempus natiuitatis constituat: vt iam Sol Coeli fastigio superato, in parte Occidentali reperiretur, contra Ptolemaeum facit. Cum enim ad Gaurici datum tempus, σινοδος, non πανσέληνος natiuitatem praecessisset: ac secundum Ptolemaei doctrinam, Solis partium numero, qui in vigesima sexta Arietis parte ferebatur, ad constituẽdum Orientalis finitoris angulum, siue Medij Coe-

li, vti

li, vti deberet: quoniam in parte duodecima Arietis, in qua cum Luna coierat, ſolus, ob hoſpitij, ac exaltationis dignitatem, ad dominatum accederet: cum trigonum Iouis ſtella, domicilium Martis, fines verò Veneris ſtella ſolùm poſſiderent: non Solis, aut alterius ſtellae partium numero, ad culminantem ſigniferi partem, vel ad eam, quae in ortu ſtatuenda erat, vſus eſt: ſed ſuo potius marte, natiuitatis momẽtum arbitratus, quartam ſupra decimam Leonis partem aſcendere decreuit. Quae cum Ptolemaei praeceptis non conuenit, pro vt nec etiam iuxta Hermetis traditiones conſiſtit. Cum à nobis propoſita, omnibus ſuffragiis belliſſimè reſpondeat. Sicut propter maximam, vtriuſque temporis, coniugationis videlicet, quae partum anteceſſit, & temporis ſationis, cũ momento natiuitatis conuenientiam, neceſſarium fore opinor: vt ſecundum conſentaneam naturae rationem, Coeli ſtructura conſtituta ſit. Quemadmodum ab hinc annis duodeuiginti, in plus quã quingentis genituris periculum feci. Cum non ſolùm in Gallia, & Germania inferiori: in quibus partibus, aliquot annos, ſtudiorum cauſa, commoratus ſum, vt in rerum noſtrarum commẽtariis, latinis literis ſcriptis continetur: ſed & diuerſis poſtea temporibus, cũ è Germania in Italiam rediiſſem: ſiue Italiam peragrarem, ſiue vacationem haberem publicorum munerum, ſiue per feriarum tempus aeſtiuarum, à ciuilis, & Pontificij iuris, quod meum proprium ſtudiũ, penſumque eſt, euoluendis libris ſemotus, me cùm ſtudio Aſtronomiae, quae eſt vnus ſuauiſſimus paſtus animorum, delectare vellem: & Principum viro

G rum

rum, & priuatorum hominum geneses, mei tantùm oblectãdi gratia, vt occasio offerebat exaraui. Quod si rursus obiiciat aliquis, quod etiam secundum tempus, quo natus, sic peracerbis exequiis elatus, duro letho, mortem obiit, Gaurici schema respondeat: cum tamen propter diuersitatem temporis natiuitatis, tempus euentus variari, necesse fuit, respondetur. Tota via (pace tanti viri dixerim) Gauricum errasse, cũ ex illis, Solis videlicet, ad stellam fixam, & ascendentis, ad quadratum Martis directionibus, sic βιοθάνατος, natum interiisse putauit. Cum genus mortis, quod ad horoscopi directionem attinet, nequaquam, cum natura signorum congruere possit, propter vtriusque Innubae scilicet puellae, & Laedae duplicis progenies, ne caetera commemorem, ἀνθρωπόμορφα ζώδια: in quorum altero, cum tempore natiuitatis, Martis stella reperiri contigerit, alterum tetragonis radiis iaculabatur. Quemãdmodum cum cornigerum ductoris, & aestiferae Nemeae pauoris, dodecatemoriis igneis, ac eorũ altero, in quo facta est receptio, firmo, vt caetera mittam, eiusmodi exitus consentire videtur. Nec ex Solis simpliciter ad fixam, inter Pleiades, directione, exitus periculum, ne dum adeò violenti exitus accidere poterat. Quandoquidem, cum secundum eam, quae in consequentia signa fit moderationem, quae ἀκτινοβολία, solet appellari, secundum quam Gauricus Solem direxit: interimentia tantùm loca maleficorum Saturni & Martis, numerat Ptolemaeus: siue corpore, siue radiis, siue è signis dicto eorum audientibus, aut aspicientibus, secundum aequipollentiam, occursantium. Vt mittam

locum Solis,qui tum demum, cum Luna vitae moderatrix eſt,interficere ſolet. Non autem loca ſtellarum fixarum percenſet, vt ex Ptolemaei dictis compertum eſt lib. 3. cap. 14. Apertiſſimè conſtat, illam Gaurici directionem, quantum Aſtrologiae dictata ſuggerere poſſunt,occidere non potuiſſe. Sicut nec illud ipſum in praecedentia Solis moderatio efficere potuiſſet.Cum per eam,quae ἀφεμαία dicitur, ſola Occidentalis finitoris pars, quòd dominum vitae labefactet,ἀναιρέτης ſit perinde vt Ptolemaeus docet in capite. Quae nàm ſint vitae moderandae rationes, & alij plures in ſtudiis , & iudiciis aſtrorum prudentes tradidere,ſicut Alchabitius,& Albumaſar,vt Omar Tiberinus exponit,lib.primo natiuitatum cap. vltimo,loquens de hilech : nec alterius etiam maleficorum,aut corpus,aut radius occurreret.Quae cum ita ſe habeant, non mirandum concludimus, ſi de via Gauricus deflexit: cum & à Ptolemaei placitis abſtinuerit,& doctiſſimi Philoſophi Hermetis decreta in medium non adhibuerit. Quando vtriuſque quidẽ praecepta, ſic coniuncta naturae ſunt,vt nihil magis in rebus Aſtronomicis inueniri queat. Sicut & ex ſupra dictis manifeſtè deprehenditur , & dilucidè etiam ex infra dicendis apparebit.



ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISS. D. IACOBO BONCOPAGNO *S. R. Gen. Guber. Duci Sorae, &c.*

INTER omnes artes, quas D.O.M. humano generi largitus est, quibus vita hominum exculta, plurimum distat à victu bestiarum: iuris quidem scientiam Illustrissime & Excellentissime Princeps, boni & aequi artem, cuius meritò quis nos sacerdotes appellat: sine qua non imperia, non regna, non res publicae, non ciuitates, non virorum mulierumque conuētus, non vita denique hominum stare potest: tùm caeterarum, siue artium, siue disciplinarum, siue facultatum, siue scientiarum, (Theologiam semper excipio) Principatum tenere, tùm omni tempore, apud omnes populos, omni semper laude dignissimam esse visum est: vel ob id maximè, quod qui ea praediti sunt, & quod est publicum iudicandi munus exercent, Dei vices gerunt in terris. Proximè & secundũ iuris scientiam, propter diuinitatis communicationem, & materiae nobilitatem, dum hominũ genus fuit, illustrì laude celebrata, & ab iis, qui ipsi in laude vixerunt, viris laudatis, laudata est Astrologia, diutina motus coelestium globorum animaduersione percepta, & comprehensa. Quae non solùm loco-

rum differentias, climatum diuersitates, dierum ac noctium interualla, nauigationis, rei rusticae, anni tempora: tùm certis signis imbres, nimbos, grandines, procellas, turbines, caeterasque tempestates,

Aestusque pluuiasque, & agētes frigora vētos,
Ventos, & varium Coeli praediscere morem

perdocet: sed & modum, corporum temperamenta, & dispositiones & inclinationes agnoscendi, ac generales de euētibus rerum formas, inter necessarium & possibile medias, pronunciandi instruit. Harum artium studia, cum ego semper, tùm verò magis, postquam excessi ex ephebis, adamarim: in altera, quam primas tenere cōstituimus, ex professo: in altera, quā secundas, delectationis causa, per ocium elaboraui. Itaque siue legum studiosus tyro, siue amborum iurium laurea, matris studiorum decretis, honestatus, iam miles effectus: sic domi forisque, legali scientiae mancipatus fui, vt cum pusillum in ea laxamenti nactus essem, ad eam, quae Coeli rationem ducit, scientiam, extemplo me conferrem. Sicut ab hinc triennium contigit, cum à publicis muniis, & à fori controuersiis vacans, de ea, quae est, de parte horoscopante, quaestione sanè subdifficili, ad Serenissimum Magnum Hetruriae Ducem FRANCISCVM MEDICEM, V. A. librū conscripsi. Quē cum ex amicorum volūtate, qui me ab illo tempore, & hortari, & orare, vt in studiosorum Astronomiae gratiam, peruulgari sinam, nunquàm destiterunt, edere censuerim: praetermittendum non putaui, quin eius partem, operi recens additam, in qua S. D. N. simulachrum, non quidem ab Apelle, Raffaelle, vel à Federico

derico Succaro, qui iam ſe illis aequauit, in tabula pi
ctum: non à Lyſippo, Bonaroto, vel à Ioanne Bolonio, qui cum eis iam comparari poteſt, è ſaxo ſculptum: ſed Mathematicorum numeris, atque menſuris, in foliis effictum habetur, tibi offerrem: qui imagini ſpirāti typo, cùm multis modis, tùm quod eius in iuris, Coelique conſultos, caeteroſque viros literatos, ac ſtudiis, doctriniſque deditos, ſummam propenſionem, non ſolum ſerues, ſed etiam ſi fieri id poteſt, cumules, meritò es carus. Vale.
Lucae prid. Cal. Septēbris M. D. LXXXIIII.

Illuſtriſſimae & Excellentiſſimae D. tuae

Addictiſſimus

Tuccius Tuccius.

GRE

GREGORII XIII. PONT. Max. natalis.

AD ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM D. IACObum Boncompagnum S. R. E. GEN. GVber. Duce Sorae, &c.

Proposita S.D. N. lineamenta nō erant in manuscripto exemplari quod author S. M. N. D. de manu tradidit.



REGORIVS XIII. HVGO BONCOPAGNVS antea appellatus, Catholicae, & Orthodoxae, ſanctae Romanae, ac vniuerſalis eccleſiae Praeſes, iuris vtriuſque peritia praeſtans, ſapientia, moribus, ac vitae ſanctitate inſignis: qui tanta pietate, manſuetudine, liberalitate, cùm in vita priuata, cùm ad maiora per omnes honorum gradus, elatus, tùm magnificentia egregiè in Pontificatu praeditus ſemper fuit, vt nulli maiorum ſecundus habeatur: cum Bononiae nobili genere, anno ſecundo ſupra milleſimũ, & quingenteſimum à partu Virginis, eius menſis, cui à Iano bifronti nomen eſt, ſeptimo Idus ortus eſſet, hora tertia à matre in lucem editus creditus eſt. Eius geneſis pars, quae tùm in ortu, iuxta naturae conſentaneam rationem, debeat conſtitui, propoſita illa, quae ſecundum iam dictum aeſtimatum tempus, ex aſcenſionum doctrina inuenta eſt: à diametrali geminae Latonae prolis ſtatione, quae eiuſdem men-

ſis,

ſis,Nono Calend. Apolline iã ferè occiduo praeceſ-
ſerat,obſeruanda. Et quoniam altera maior natu Dia
na,in Nepa torrida flammis, in Orientis Coeli angu
lo,in ipſo propè finitore nitebat:à Ptolemaei ſenten
tia non recedendo, Iouis ſtellae partium quidem nu
merus,quae altitudinem & fines,iuxta Ptolemaeiam
deſcriptionem, in Dianae parte habere comperta
eſt,ad Orientis angulum conſtituendum, animad-
uertendus eſt. Vt conſimilis Nemeae ferae dodeca-
temorij gradus in finiente collocetur,quotum in nu
bigenum iuuenum vectore, iuuãs pater occupabat.
Vt tandem non hora tertia,Italici horologij, ſed ho-
rae binis quinis partibus,ante tertiam, eius momen-
tum natiuitatis extiterit. Haec de parte per Anni-
modar (vt vocant)horoſcopante,ſint ſatis ſuperque:
& ad reliqua,quae à Maximo Hermete tradita acce-
pimus, vt conſentaneum eſt his, quae dicta ſunt,
tranſitum faciamus. Noctiuaga omnium planeta-
rum infima, in ea Coeli manſione, quae ἀγαθὴ τύχη
Graiis dicitur, in parte aequorei Capri decima,cum
ſcrupulis bis duodenis deſignata, diebus tribus,
cum dimidiato ferè, minus maiori mora, foetum
in vtero matris fuiſſe ſignificat. Ea temporis dimen
ſio, à die natali ſubtracta, in Quartum menſis ma-
rinae Veneris, Calend. anni antecedentis recidit.
Quo die cum in particulis bis denis, primae ſupra
terſenas, partis, cornigeri Phryxi tranſuectoris, A-
pollo ſplenderet: quibus ſenae partes, cẽtenis aggre-
gatae, recti horizontis aſcenſionum, cum qua-
ternis particulis, quinquagenis coniunctis à con-
uerſione hyberna initium ducentes, reſpondent.

Diana vero in themate natalitio, in ea, quā diximus signiferi parte niteretur: cuiusquinae, supra tercentas partes, cū octonis particulis, ter denis copulatis, tortuosae ascensionis conueniunt, à Vere nouo suum sumentes exordium. Subducti ex alterius incuruis, alterius directi ascensus, octonae nonagesimis & centenis partibus connexae, cum quaternis, & bis vicenis particulis relinquuntur. Ex quibus ternae, supra bis quinas horas, & alterius horae quadrans conflatur. Vt siue tempus, cum formam embrionis, semina assumere ceperunt, sicut Lucas Gauricus putabat, cum quo idem herclè sentit Ioannes Baptista Carellus: siue mauis satus tempus, secundum communem Astronomorum opinionem, hora prima, ter quaternis additis, fuerit, cum quadrante post meridiem. Quando ex vndiuago, Dianae locus natiuitatis, aequore prosiliens, supra horizontem deferebatur: ac in parte tempore natiuitatis horoscopāte, Diana rubebat. Tametsi retro aliquibus particulis in Codicibus appareret, propter delitescentes tabularum errores, ex quibus interdum planetarum loca nequaquā omni ex parte absoluta, constitui possunt. Cum motuum calculus, hactenus in tabulis traditus, nec dum etiam satis limatus existat, pro vt & ipse etiam Reinholdus insinuat, qui ex reuolutionibus Nicolai Copernici tabulas Prutenicas extruxit: & nuper Michael Maestlinus, in sua ad Senatum Tubingensem, Ephemeridum praefatione, per quàm verè deduxit. Atque haec quidem, atque eiusmodi, ad artem, & praecepta de quibus agimus pertinent. Iam aliquid vlterius perpendamus, vt & exitus rerum, quod plerisque

riſque placere videtur, qui res euentis ponderant, Aſtronomicis traditionibus conſonare, non obſcurè deprehendatur. Igitur cum in gremio fortunae, in quo cum Iunone Iupiter puer lactens, caſtiſſimè olim apud Romanos, à matribus colebatur, ambo, tēpore natiuitatis, clariſſima lumina, ὁ ἥλιος καὶ ἡ Σελήνη reperiri contigerit: à quibus & ſatellitum Aſtrorum ſtatu, honores & dignitates Ptolemaeus docuit obſeruare. Et alterum, quod φῶς τοῦ βίου, hoc eſt lucem vitae, tanquàm lumini oleum, animātibus inſtillat, in altitudine Martis exiſteret: vnde Iouis ſtellae radios, ac identidem Martis, huius pro geniturae ſitu, quoniam in Medij Coeli cardine ſpaciaretur, illius verò pro mundi ſtatu, cum in domeſtico ſigno, ratione trianguli deambularet: in optimis locis collocatarum, excipiebat. Altero, quod τὸ σέλας αἰώνιον ἔχειν, hoc eſt, recentem ſemper ſplendorem tenet, alterius beneficae, quae in ea ſupremi ſyderis parte, quae aequali ſpacio, cum ſalutaris fulgoris parte oritur, aequalemque deſcribit parallelum, vagabatur: tàm pro mundi, quàm geniturae ſitu validiſſimae, hexagonis radiis ſtipato. Vt lucidam in Herculei corde leonis, ſtellā fixam mittam, in quinis, ſupra finitorem, partibus emergētibus, locatam, quae regia à noſtris, βασιλίσκος à Graecis appellata, innumerabiles, atque admirabiles felicitates affert, planetis maximè, vt in hac geneſi ad beatitudinem conuenientibus: ſecundum vulgaria & peruulgata Ptolemaei axiomata 29. & 46. Centiloquij. Cum vno tempore, per eam, quae εἰς τὰ ἑπόμενα ζῴδια, in cōſequentia ſi quidem ſigna peragitur, ad proprium hexagonum Medium Coeli ad-

uentaret: & Martis ſtella, geminorum luminum, exaltationis ratione gubernatrix: quae in eminentiſſimo Coeli domicilio enitebat, vnde Regum, atque Principum eſſe accipitur, ſicut pronunciato 22. Hermes Aſtrologus antiquiſſimus oſtẽdit, & Thaddaeus Hagecius ſua accurata commentatione declarat: ad Iouis tetragonum, ex verioribus calculis, acceſſiſſet: nec verò per partes aequales, id eſt ſecundum gradus Zodiaci, quemadmodum (vt diximus) dirigebat Albumaſar, ſed per aſcenſionum rectarum partes, quod ad Medium Coeli attinet, & ex circuli directi, & circuli regionis, aſcẽſionibus partes mixtas, quod ad Martem ſpectat: purpurei in primis galeri ornamenta, annum quartum ſupra ſexageſimum agens, cum & proceſſus & ingreſſus concordarẽt, & ambae errantes beneficae circum principalia loca natalitia verſarentur, à Pio Quarto Pont. Opt. Max. de manu accepit. Ac tum poſtea anno primo ſupra ſeptuageſimum cum per eam, quae εἰς τα προηγούμενα τον ζωδίων, ideſt in praecedentia ſigna fit moderationem: ad Paphiae locum, quae & ob trigonum, & contuberniũ, principem in Europae vectore, in Coeli faſtigio collocato, locum tenet, & vtriuſque luminis, propter triangulũ moderatrix exiſtit, Iouis ſtella peruenit: quo eodem tempore Coeli culmen, à quo partem regni Arabes ſumunt, ad eiuſdem proſperi fulgoris quadratum appropinquabat: miro omnium Cardinaliũ conſenſu, cum laetiſſimus illi, nobis vero Laetus dies illuxiſſet, in Pij Quinti Pont. Max. demortui locum ſuffectus, ad vniuerſalis eccleſiæ Dei regimen eſt euectus: & ſummi ſacerdotij dignitatem, qua nihil in

terris praeſtantius,nihil ſanctius, nihil denique diui nius reperiri poteſt,eſt conſequutus.Quae nō ſolum opinione hominum , quam ſummis virtutibus ſibi comparauerat,ſed diuina ac coeleſti ratione, ex illis ſempiternis ignibus (quantum per ſyderum apoteleſmata iudicare licet) ipſi deberi ſignificabatur. Vt in cuſtodia Chriſtiani gregis, poſteaquam aetas ſua ſeptenos decies Solis anfractus,redituſque con uerterat, pleni numeri circuitu,obliqui, & inaequalia latera habentis, per marem hemiolium producti, hinc priuſquam euolaret, conſtituendus eſſet.



LVRA aliorum Principum virorum exempla, in medium proferre possem, quae lubens praetereo:cum & eorum rationibus, qui Astronomiae disciplinam docere, professi sunt, Pythagoreorum more, soleam acquiescere:cum etiam, quòd ea, quae exposuimus, non modo Sole ipso illustriora & clariora sunt, sed omnem sibi fidem sensibus confirmant. Ita vt mihi quidem dicendum videatur, non solùm nunquàm satis laudis, Aegyptiis,& Syriis impertiri posse: qui propter aestiui temporis pulchritudinem, ac serenitatem, quam habet abūdè Syria, & Aegyptus omniū quae sub Coelo sunt, terrarū imbrium expers: quem admodum Strabo, PomponiusMela, Solinus,& quot quot ex veteribus Geographiam posteris tradidere annotauerunt:& nos semel, atque iterum, ac saepius, tùm Genuae, dum ibi proximis superioribus turbulentis eius Rei publicae temporibus, publicum munus haberemus, tùm Venetiis, cum illo vrbis tantae ac talis visendae gratia, naui appulissemus, ab Aegypti accolis, qui ad illorum locorum oras, cum mercibus atque oneribus saepe commeāt, accepimus: cum motus ac decursus Astrorum primi intellexissent, sicut Plato in Epinomide exarauit, primi etiam Solem & Lunam, paucioribus motibus, quàm erraticarum quaedam moueri obseruauerunt, pro vt Aristoteles tradidit lib.2.de Coelo & mundo cap.12. A quibus

bus praecipuè Aegyptiis, qui Aſtrologicis praeuiſio nibus, medendi artem annectere conſueuerunt: vt quemadmodum ex Aſtrorum poſitura praeſentium & futurorum morborum cauſas exquirebant, ita ex re medica, quae ſingulis humoribus, aut congruerẽt, aut aduerſarentur, remedia adhibentes, praeſentes aegritudines certis medicaminibus curarẽt, futuras verò remediis praeſeruantibus auerterent: & compoſitiones iatromathematicas, (de quibus ad Ammonem Aegyptium breuiter Triſmegiſtus conſcripſit, & quas noſtra tempeſtate in ſua Panteologia, etſi paucis admodum Mizaldus tractauit) primùm inuentas, & maximè auctam Aſtronomiae artis vim, vel Ptolemaeo teſte in apoteleſmatibus accepimus. Et Syriorum gentis Babylonios, à quibus dies duodenas partes, ſupra polum, & gnomonem Graeci didicerunt, vt in Euterpe auctor poſteris tradidit: caeteroſque eiuſdem nationis Chaldaeos, non ex artis, ſed ex gẽtis vocabulo numinatos, qui in Aſtronomica & Genethliaca arte, prae caeteris nationibus elaborauerunt, vt à Philone Iudaeo proditum eſt, quique ex peritia Aſtrorum futura praedicere ſolebant, ſicut Diodorus Siculus teſtatur, ſatis dignè laudari: quòd exortus, curſus, & occaſus vagantium ſtellarum notauerunt, & ordinem in iis ſtellis inuenerunt, qui non putabatur. Inter quos Abrahamus Chaldaeus filius Tharae, princeps Patriarcarum, cuius multa in ſacra pagina habentur, plurimum in rebus Aſtrologicis, aliis praeſtitiſſe, perhibetur: vt Ioſephus in primo Iudaicarum antiquitatum libro commemorat. Sed nec caeteris Philoſophis, id eſt ſapientibus viris,

qui

qui rerum Aſtronomicarum amplificatores fuerunt, vel res Aſtronomicas tractarunt, ſatis vnquam hono ris tribui poſſe. Cum enim veteris Dicaearchi opinione repudiata, qui magnum librum compoſuit, quae euentura ſint, neſcire ea melius eſſe, quàm ſcire: magnopere intereſſe, futura praenoſcere, omniũ doctrinis, atque optimarum artium ſtudiis eruditorum ſententiae concurrant, vt ſciri poſſit, quid cuique conducat: ac propterea cognitum habere magni referat, ex qua affectione Coeli, quis primum ſpiritum duxerit: cum ex ea, quantum humanitus poteſt, quis ante ſagire valeat, quàm oblatae res ſint, quandoquidem cum vita cooriuntur, vt diuino quo dam quaſi ſpiritu afflatus, Pindarus eſt complexus, cum ad lyram cecinit,

— πότμος δὲ κρίνει
συγγενὴς ἔργων πέρι
πάντων: ſic rerum Aſtrologicarum inuentores, & amplificatores, acerrimi inueſtigatores & diligentes earum rerum fuerunt, quae à natura inuolutae videntur, vt eorum diſciplinam, & euentus, ac res ſaepiſſimè comprobauerit. Si quidem egregium, praeter caetera, & commemorandum Chaldaeorum extat exemplum: qui poſt memorabiles illas pugnas, quas cum Dareo, ad Iſſum, & Arbelam, pro Aſiae im perio, Magnus Alexander feliciſſimè pugnauit, ac poſt eius cum Thaleſtri Regina complexus, & partam de Poro Indorum Rege victoriam, & pleraſque eius res geſtas, quas maximas illas quidem, atque am pliſſimas, innumeri ſcriptores, magno ſcribendi vſu exerciti, ſempiternae memoriae conſecrauerũt: cum

ex diuinatione Aſtrorum Babylone, ei mortis periculum imminere, praeuidiſſent, eidem, iam verſus Babylonem caſtra mouenti, per legatos, ne Vrbem ingrederetur, ſignificauerunt. Quod Alexander intelligens, Chaldaeorum ſapientiam, & magnum nomen, identidem ſecum reputans, profectionem in aliud tẽpus differre cum propoſuiſſet, caſtra ſtadiis ducentis procul à Babylone poſuit. Et paucis poſt diebus, cum aliquorum Graecorum hominum ſuaſionibus, qui variis rationibus, acriter, contra Chaldaicum praedicendi genus, ita vt ſit, inuehebantur, à propoſito declinaſſet, Aſtrorum ſpreta diuinatione, Babylonem cum exercitu ingreſſus: ibi, ſiue vehementi febre correptus, ſiue multo epoto temeto afflictus, ſiue aqua Stigis, vel alio veneno malo necatus, propediem eſt mortuus. Sed non deſunt, eius vindicandae diuinationis, praeclariſſima paſſim exempla, ſicut temporum monumenta ſuggerunt. Non ſolum Publij Nigidij, ac Theogenis de Auguſto: Traſylli de Tiberio: Tiberij de Galba: Sullae de Caligula: Selerici de Othone: Aſcletarionis cùm de ſe ipſo, tùm de Domitiano: & Democriti Abderitae, & Thaletis Mileſij, ac multorum aliorum, quae cum proferri poſſent, praetermittenda cenſuimus. Cum praeſertim inficiari non poteſt, non ſolùm multis antea ſeculis, niſi omnem hiſtoriam peruerterimus: ſed & ſucceſſiuis etiam temporibus, & patrum noſtrorum memoria, Mathematum peritiſſimos extitiſſe, qui in magno nomine & gloria, ſaepe grauia & vera, cedro digna effati, praedixe

dixerunt. Nàm vt Bonati de Foro Liuij, vno, e quatuor Aemiliae foris, rerum Astrologicarum valdè periti, cuius supra mentionem fecimus, mirificas praedictiones missas faciam. Vt Quirici Franchi Medici & Mathematici Genuensis, clara praesagia relinquam. Paris Ceresarius Iureconsultus Mantuanus, & Astrologus celeberrimus, qui ad nostra tempora propius accessit: non modò electionem ad summum gradum Pontificatus, ante duodecimum annum, tempore obitus Leonis X. Paulo III. Pont. Opt. Max. sed & obitum ante vigesimum septimum, ex syderum positione praedixit. Et in Gallia, acceptam ad Papiam cladem, quae luctu, ac moerore omnia compleuit, quod nobilissimi quique Gallorum ducum & procerum interfecti essent, & Rex ipse auiter dimicando, sauciatus equo prolabente captus esset: Turellius futurorum per genituras interpres, Ludouicae Regis matri, multò ante cecinerat, luctuosumque exitum praedixerat. Vt mira alia prognostica, tùm Francisci Mariae Ferrariensis, tum patris Marcelli II. Pont. mittam. Quorum alter nascenti filio, certis infixas sedibus, Coelo inhaerentes stellas intuens, Pontificiam dignitatem diuinauit. Alter verò Iacobo Picinino (eius Nicolai filio, qui parua statura, vnde cognomen habuit, at ob rei militaris virtutis praestantiam, egregiè fortis, & bonus dux exercituum, Mediolanensium Principis, equitum turmis praefectus, Lucensium peditum cateruis adiunctis, antiquissimam Hetruriae Vrbem, mihi carissimam patriam, à Guido Antonio Feltrio Vrbini Regulo, Florentinorum

exercitus contra Lucenses Imperatore obsessam, hostium copiis, magna ex parte occisione occisis, ac reliquis, paucis, qui se se in fugam dederunt, exceptis, captiuis ductis, obsidione liberauit) eius igitur filio, qui à Rege Neapolis Ferdinando Aragonio occisus est, annum, mensem, & diem interitus, ex eius genesi vaticinatus est. Et licet Astronomiae ars, quae non à Pythio, nec à Dodone, nec ab Ammone accepta oracula fundit: non per furorem, vt Agrigentinus Empedocles, carminibus vaticinatur: non ex libris Sybillinis, venum ab anu hospita datis, quid facto opus sit, depromit: non ex his, quae, in ara lingua posita, videri videntur, de cornea, vel eburnea porta coniectat: non ex alitis volatu, nec ex cantu oscinis, nec ex tripudiis auguratur: non ex fulgore, nec ex fulmine, nec ex tonitruis auspicatur: non ex libero, nec ex quadrupedibus, nec ex diris pronunciat: non ex aruspicinae disciplina, quam Thages primus Hetruscos docuit, responsa dat: quae non denique ex Amphiarai diuinatione, aut ex ea, qua, à Persis allata, Numam Pompilium vsum fuisse D. Augustinus scribit, aut ex alia magiae specie ventura praesagit: sed quae è media mundi sede, ignem purum, ex humida quondam natura, vt est in Mercurij Pimandra, in sublime sursum exilitum, & quae circa solidam & globosam terram, aërem agilem, & aquam cum terra commistam, alia sunt elementa, & ipsam conglobatam considerando: motus, ambitus, magnitudines, distantias corporum coelestium pertractando: supremum illũ Coeli stelliferi cursum, ipsaque inhaerentia sydera, erroris expertia, per circulos parallelos delata, è longin

ginquo & maximè omnium infimo loco ſpectando: ſeptem planetarum globos, per quoſdam obliquos ordines in Zodiaco conſtitutos, quorum duo contra mundum ſemper, reliqui contra mundum, & cum mundo quandoque feruntur, intuendo: ac omnium denique orbium, circulos ſuos celeritate mirabili conficientium, ſigillatim conuexa cõtemplando, futura praeſentit, fallat fortaſſe nõnunquàm, & minus aliquando eueniant, quae praenunciata ſunt: non ob id, iudicio doctiſſimorum hominum, à quoquam aſpernãda eſt, ſicut Panaetius arbitrabatur, qui vnus è Stoicis, Aſtrologorum praedicta reiecit. Nam cum profeſſorum, non ſcientiae ſit imbecillitas, vt Pirouanus diſſerit, & in ſuo tractatu, in quo Aſtrologiam contra eius aduerſarios, & praecipuè contra Ioãnem Picum, veriſſimam & vtiliſſimam, non ſolum Etnicorum & Chriſtianorum auctoritatibus, ſed quam plurimis etiam rationibus oſtendit, Dominicus Sceuolinus deducit: ſequutus Ptolemaeum libr. 1. cap. 2. quamuis de ſententia Ptolemaei Sceuolinus verbum nullum: nihil eſt, cur quidquam Aſtrologiae vitio verti poſſit. Immò verò, quoniam multi erroribus ducuntur, qui parum accuratè, in re, magnae & multiplicis conſiderationis verſantur: artificum imprudentia, vel etiam infelicitate quadam, ſi non ſatis verant, id in tàm magna mole accidere, fatendum eſt. Quandoquidem vt in ſummo Imperatore, qui belli gerendi adminiſtrator futurus ſit, non ſolùm ſcientiam rei militaris, virtutem & auctoritatem, ſed & felicitatem etiam ineſſe oportet: vt armis ipſe inuictus, hoſtium victor, ac triumphator euadat. Et vt

pleraque etiam in caeteris artibus requirũtur, si praestantiam quis consequuturus sit, de quibus dicere longum esset, praesertim ad alia properanti. Nec cõcurrere omnia aedepol possunt, ni quae stella magisterium decernat, & primariis Coeli locis, & signis conuenientibus, cum maiestate quadam potestatis suae praesit. Ita ad Astronomicas praedictiones assequendas, non solum Astronomum, causas primas, & prima principia, & vsque ad elementa scientiae Astrorum, quae naturalis philosophiae pars est, cognouisse & percepisse, supremumque in modum, inerrantium conuenientia, & reliquorum orbium, quibus connexa sunt omnia, aequabili cõcentu, qui harmoniam efficit, se exercuisse sat est: sed habeat principio me herclè conuenit, potentem admodum in sua genitura stellã, quae ad veritatis cognitionem assequendam, aptum reddat. Vt ex impressione corporis coelestis, vera obnunciandi felicitatem habeat, qui industria virtutem comparauit. Quemadmodum duobus, tertio nempè & quarto aphorismis, in Centiloquio auctor adnotauit, cum scripsit. *Qui ad rem quampiam aptus est, habebit profectò, & huiusmodi significationis stellam admodum potentem in sua genitura.* Et. *Animus ad cognitionem veri aptus plus assequitur, quàm qui supra modum se in sciẽtia exercuit.* Eumque (vt opinor) Ludouicus de Regiis, in suis, ad Patriarcam Constantinopolitanum, Astrologicis aphorismis sequutus est, inquiens enunciato 21. *Iudicia tui commenda perito magis natura, quàm*

arte: consilioque periti huius scientiae quiesce, si septimam ipse nō impeditā ab infortunis habuerit. Et ratione profectò. Est enim Coelitum munere, siue in quapiam arte, sic aliquem absolutum esse, vt eius illi sapientia attributa, sapiens in ea appellari mereatur. Sicut de L. Acilio scimus, qui quoniam boni & aequi artis sacerdos, prudens in iure nostro ciuili putabatur, sapiens nominatus est. Et quomodo Phidias, & Polycletus, sapiens alter marmorarius, alter statuarius sapiens est nuncupatus. Et quo pacto in aucupio sagittarum, sapientem fuisse Philoctetam, vsurpare possumus, de quo extat in monimentis,

Configebat tardus celeres, stans volantes,

Siue fortunis, ingenio, viribus, virtutibus intellectiuis, homines caeteris hominibus antecellere. Quales non modò heroicis temporibus, sed omnibus seculis, aetatibusque hominum fuisse accepimus. Siue formae pulchritudine: quae proprium muliebris sexus, (cuius, quae, eius est iurium, portio, praestantiae, illi merita verba, silentio praeterire non sinit) vt Anacreon existimauit est ornamentum: vnam inter omnes foeminas longe praestare. Qualis, antiquissimis illis seculis Helena fuit, Laeda, & Ioue in plumis delitescente, prognata, orbis terrarum, gentiumque omnium, ne dum Danaum mulierum formosissima: & aetate hac nostra

Auseris in ripis, qualis pulcherrima forma,

ASTE

ASTERIE, meus ignis, ouans, supereminet omnes.

Quod nec Diuum Thomam, omnigenae, omnium peritissimũ, literaturae, clàm fuit, vt ex eius scriptis, palàm est: & ex his vel maximè, quae contra gentiles sanxit, cum inquit lib.3.cap.92. *Habet aliquis homo, ex impresſione corporis coelestis, aliquam efficaciam, in aliquibus corporibus faciendis, quam alius non habet: puta medicus in sanando, agricola in plantando, & miles in expugnãdo.* Quae non solùm confirmantur, quod vsque adeò spissum sanè opus, laboriosum, operosum, perdifficile, & perobscurum ars Astrologiae sit, vt nulla alia disciplina magis perdifficilis, & perobscura inueniri possit: qua de causa, & fieri in Astronomicis praedictionibus, exorditur Ptolemaeus, vt assolet, dum quod pauci assequi possunt, id in multorum reprehensionem incurrat. Sed etiam, quod multae res, in Astrologia, nequaquam satis adhuc explicatae sunt: ac multae etiam à plerisque, qui post Ptolemaeum, commentarios, paraphreses, interpretationes, enarrationes, introductiones, isagocica, & quae sunt generis eiusdem, composuerunt, cum artem parum intelligerent, mala ratione sunt expositae. Sicut Hieronymus Cardanus ostẽdit, cui rerum Astronomicarum studiosi, quoniam permulta, pluribus rerum Astrologicarum confectis voluminibus, dilucidauit, magnam gratiam debent. Etsi in tanta magnitudine rerum, quas Cardanus tractauit, ac varietate librorum, quos edibit, paucula nonnunquam ascripta reperiantur, quae omnes non habent in se numeros veritatis, nàm pol,

Quan

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Sed haec, Serenissime Princeps, missa faciamus, & ad ea, quae de certa, tuae genesis, relatione, & de parte per Astrolabium sumpta, obiici possent occurtamus. Neque enim quisquam est, qui non solum partem, vel per Astrolabium, vel per Quadrantem sumptam, ratam non haberet: sed & relationi natiuitatis tantoperè exoptatae, fidem non adhibendam diceret. Quod & nos non negamus, tametsi eorum neutrum simpliciter sequendum dicimus.

Nàm, quod attinet ad certam relationem. Et horologia, vt Ptolemaei fert opinio, non raro, à vera ratione deflectunt. Aquatica enim, tùm ob laticum naturam, diuersis de causis, tùm fortuita cohibitione & inaequalitate, ex aquarum retẽtione, & decursus differentia, saepe à veritate declinant. Sciotherica verò, ob situum, ac gnomonum accidentem peruersionem, facilè à vero aberrant. Et generaliter siue Solaria stabilia, siue pensilia: siue quae à Germanorum primum opificibus inuenta, argenteis inclusa loculis, in femoralibus, seu ad collum appensa gestamus: siue turrita horologia, tàm à puncto Mediae noctis, à quo more Romano, vt Paulus inquit Iureconsultus, dies habet exordium, & à quo Galli, & Germani horas auspicantur: quàm ab Occasu, à quo Atheniẽses, & à quo Itali horarum spacia incipiunt: quàm ab Ortu, secũdum Babylonios: & quàm etiam à Meridie, secundum Arabes, Hispanos, & Astronomos, incipientia, tùm quòd arte sint facta, manibusque sint tractanda, naturalem, sic imitari motum nequeunt, vt exactè sicuti conuenit, temporis mo-

menta repreſentent.Et cum ſex numero, in actu pariendi,accidant actiones. Quarum binae ante partum contingunt,cum vertitur in vtero infans,& tunicam frangit,qua eſt amictus. Binae in partu,cum capite primùm, ac totus deinde in lucem prodit. Et binae poſt partum , cum vmbilicum obſtetrices diſcindunt , & infantem lauant. Quae aliquam ſanè neceſſariò temporis longitudinem requirunt,ſeu longius aliquando ſpacium, ſeu breue aliquando tẽporis conſumant. Vnum inter omnes conſtat : Obſtetrices & aſſiſtentes partui , infantem natum non prius pronunciare , quàm poſt abruptionem cotilidonum,& perfectam infantis ablutionem , & ſic nó in vera natiuitate. Quae cum , ſicut rationi conſentaneum eſt,ſemper aeſtimatam praecedat : minimè mirum videri debet, ſi Aſtronomos complures , ne mediocriter quidẽ doctos,parùm exquiſitè , vt paulò ante dicebamus,res Aſtronomicas tractãtes, quae acrem curam, diligentiamque deſiderant , falli plurimum contingit , dum aeſtimatam natiuitatem ſequuntur. Vno enim abſurdo dato,plura accidunt, quod patet.Cum nó ſolùm circa rerum temperiem, hoc eſt,primorum quatuor initiorum , quae elemẽta dicuntur,exuperantiam:quae in iis , exempli cauſa,quae ab aſcendente , vel Coeli faſtigio decernuntur, ex coniectura rationis vniuſcuiuſque partis , ne dum ex temperatione aſteriſmi,pendere, palàm eſt, induci in errorem poſſint:ſed etiam pro ratione circuli obliqui ſitus,in iis,quae à luminaribus, & quinque erronibus ſancita ſunt , propter maiorem , vel minorem,à cardinibus diſtantiam, circum decretorum

rum magnitudinem & tempora euentuū labi. Quae tria porrò absurda, praeter propter alia multa, nolo enim errata appellare: quae ad substantiam, qualitatem, & quando reducuntur, non modò in tua genesi hactenus contigisse à nobis est deprehensum: dùm cádentes ab angulis partes ad angulos reuocauimus: & quod calidum & igneum erat, ac in eius, cui non risere parentes, potestate positum, in aquam coniecimus, continuoque restinctum & refrigeratum, in eius, cui pelagi imperium datum, ditionem redegimus: & Cinthiae locum, quae ortus nascētium, prae caeteris astris moderatur, ex obscuro & tenebricoso loco, ad ipsum propemodum perlucidum & valdè clarum Orientis centrum reduximus: vnde amplitudo & rerum, quae significātur magnitudo decernitur: & in directionibus, ex quibus praecipuè tempora euentuum Astronomi metiuntur, differentia non modica temporis, ob dissimiles circuli positiones intercedit: sed & in multi nubi despotes, cuius, ex nota, si eam, qui Mineruam, & non Mineruam, (vt aiunt) figuram aspersit, & generis vocabulum designatur, qui post dimidiatum seculum, ex acerrima Coeli designatione, à nostra dupla metiēdi norma inducta, sex qui, Magni Astri, ambitu ferè confecto, nexibus laxatus viuet: & in plerisque etiam aliis, eorum, qui caeterorum obtinent principatum, & priuatorum virorum genituris euenire compertum est. Sicut non seruatis ambabus illis, quae quasi delapsae de Coelo sunt, ad cognitionē rerum Astronomicarum, regulis superius à nobis enodatis, accidere necesse est. Et tunc praesertim, cum de rebus,

ad ipſum natum,cuius in manibus geneſis habetur, pertinentibus, Aſtronomi percuntantur. Cum in reliquis,quorum exitus tempora, generatim ſpectari,in genituris poſſunt:qualia ſunt ea,quae in parentum, fratrum, coniugum, amicorum, & ſimilium tractatione habentur,de quibus per Ptolemaeum in apoteleſmatibus, ac quorum fortuna, vt Marſilius Ficinus, tuae iam proſapiae alumnus,lib.9.cap.4.platonicae Theologiae,ad Magnanimum Laurentium tetigit,ab alterius geneſi non dependet, ſed tantùm ſignificatur,adeò ſubtilis initij natiuitatis indagatio, quanquam vtilis, minimè tamen ſit neceſſaria. Ni de rebus,quarum à Luna,quae vltima Coelo, citima terris, celerius caeteris planetis, non menſtruo ſpacio, ſi Solis peregrinationis, menſtruum ſpacium, duodena pars ſit, ſed duodenae, eius luſtrationis, partis,decima quinta parte temporis ferè minus, eo nimirum circuitu, quem numerus continet perfectus,cuius ſeptenarius origo eſt, curſum ſuum complet,ſignificatio proficiſcitur,Aſtronomus conſulatur.Quoniam ſtellam,rei, de qua quaeritur, natura familiarem, in ſingulari euentuum inueſtigatione, vbi reperiri contigerit,tanquàm Orientem ponere, doceat Ptolemaeus.Et praedicta ex circũſpectione, & accurata cõſideratione,horae,immò verius, puncti natalis roborantur. Nàm cum paruis momentis, multa natura,aut affingat, aut mutet, aut detrahat, quod nemo vnquàm ſanae mentis inficiatus eſt:incredibilis quaedam, & propè ſingularis difficultas eſt,momentum hominis naſcẽdi,quod nequaquam ab humana voluntate, ſed à motu ſuperiorum pendet,

det,aucupari.Licet in quarundam ſanè rerum principiis,qualia verbi gratia ſunt:iactus primi lateris,in alicuius mirificae molis extructione: vel primarij quadrati & angularis lapidis,in templi iaciēdis fundamentis immiſſio:quae ad arbitrium hominis collata ſunt,aliter euenire multò intelligo. Qui enim vel vrbem condere,vel domum aedificare parat,vel quippiam aliud voluntarium,& in ſua poteſtate poſitum,id quemadmodum agere debeat,etiam,atque etiam deliberat & concoquit : & quo plurimum inceptis ſuis prodeſſe poſſit, felicem Coeli ſtatum eligit:ac ſtellis cum primùm fixis, ſi Vrbs coñdēda ſit, quae conferre habeant,vtitur:erraticis,ſi conſtruenda domus.Neque ſolùm ne ſtella, que principatum & dominatum obtineat,alteri ſubterraneae copuletur,aduertit:ſed ne rutilus, horribiliſque terris fulgor,Marſpiter,ſi nauis inchoanda ſit, in Medij Coeli cardine,vel loco ſuccedenti, qui ἀγαθοδαίμων Graecè dicitur,vadere pergeret:ne ve à fixa aliqua, eiuſdem formidoloſi fulgoris natura Oriens affligatur, conſultat. Vbi verò tēpus magis idoneum nactus eſt, ei donec appropinquet praeſtolatur:vt cum inſtare, & iam deſtinatum impendere momentum aduerterit, tunc ſine mora, maturéque decretum opus aggrediatur.Et ſatis ſcitè haec quidem, non ſolùm Aſtronomorum ſententia,qui vulgi opinione, diſerti habiti ſunt:ſed eorum etiam, qui intelligentium quoque iudicio,fuerunt probatiſſimi.Si quidem primae materiae principium, rei artificioſae, apud Mathematicos fore ſignificatiuum,nemo ambigit.

Tempus verò horae natalitiae, ſeu per Quadran-

tis inſpectionem, ſeu per inſtrumentum Aſtrolabij ſumptum, non rarò, à vero aberrare poteſt. Non ſolùm, quoniam vix fieri poteſt, vt perfectum omni ex parte, abſolutumque Aſtrolabium inueniatur, quo habeatur verus coeleſtium motuum calculus, quemadmodum experientia docet, quae rerum magiſtra, & Caeſareo, & Pontificio iure, iure merito nuncupari ſolet: verum etiam propter momentum, in quo infans acquirit vim ab aſtris. Quod non ſolùm eſſe poteſt, dùm infans eſt medius extra, & medius adhuc in vtero materno, ſicut quibuſdam diuinae Matheſeos profeſſoribus placuit, qui tunc dixerunt eſſe veram natiuitatem: ſed prius etiam, ſi prius infantem reſpirare poſſe contigerit. Poſtquàm ſaltem calcitratione diſruptis membranis, & ore vteri, quod ante editionis infantis tempus, ita aſtrictum erat, vt ne aciculae quidem cuſpis ingredi potuiſſet, nec non pudendo patefactis, non dum medius, ſed capite duntaxat prodiit. Si tamen ſecundum naturam naſci contingat. Quod tunc fieri Ariſtoteles tradidit, cum foetus, qui in ſe met quidem conglobatus in vtero, eo poſitu degit, vt naſum inter genua, oculos ſuper genua, nares extra genua habeat, exitum appetẽs, caput deorſum inclinat, manuſque ad coſtas exporrigit: ſic enim facilius prodit, & ſecũdum naturam partus huiuſmodi vocatur. Sicut contra naturam, cum in pedes, aut inflexo, circumactoque corpore naſcitur. Ex quo naſcendi genere ominoſo, quoniam pedibus efferri, ritu verò naturae, capite hominẽ gigni, moris ſit, Agrippas, quaſi aegrè partos, nuncupatos, Plinius affirmauit. Tunc enim

verè

verè in vitam infans ingreditur, cum hunc aërem, qui ſpiritu ductus, alit, & ſuſtentat animantes, oris hiatu capeſſere poteſt. Quemadmodum probè Cardanus cognouit, cum in ſuis Aſtronomicis aphoriſmis, ſegmento primo, aphoriſmo 26. ſcriptum reliquit. *Puer tunc naſci dicitur, cum aërem primùm per os inſpirat, extra matris vterũ.* Licet alias ipſe Cardanus, prius ne an poſterius ignoramus, huic ſententiae, ab ipſo, in dicto aphoriſmo approbatae, repugnantia ſenſerit, ſicut paulò poſt proponemus. Et propterea Ptolemaeus, qui princeps in ſcientia aſtrorum fuit, vt ſupra tetigimus, non ſecus ac Ariſtoteles in philoſophia, & Hippocrates in medicina: horam natalis per Aſtrolabium ſumptã, in dubium ſanè reuocare videtur, & vt crediderim ob iam dictas cauſas: dum inquit lib. 3. ἀποτελεσμάτων, in capite περὶ μοίρας ὡροσκοπούσης. Μόνης μὲν ὡς ἐπὶ παντῆς δι᾽ ἀστρολάβων ὡροσκοπίων κατ᾽ αὐτὴν τὴν ἔκτεξιν διοπτευούσεως τοῖς ἐπιστημονικῶς παρατηροῦσι τῷ λεπτῷ τῆς ὥρας ὑποβάλλειν δυναμένης. id eſt ſecundũ vulgatam conuerſionem. Cum ſola ferè Aſtrolabiorum horoſcopiorum inſpectio, prudẽter obſeruantibus, partus momentum prodat. Siue vt nos vertimus. Sola quidem ferè vniuerſaliter Aſtrolabiorum horoſcopiorum, ſecundum ipſam deductionem, inſpectio, ſcitè ſpeculantibus, minutum horae ſubiungere poteſt. Ponderando illa verba, ὡς ἐπὶ παντῆς, quae latinè reddita, ſonant, ferè vniuerſaliter, vel quaſi vt plurimum, vel quaſi in omnibus. Nec non expendendo, aduerbium ἐπιστημονικῶς, quod prudenter, fideliter, ſcitè, peritè, latinè conuerſum exprimitur. Idque tanto magis videtur dicendum, cum certum

quod

quoddam principium, initium, siue exordium, necessariò, in natiuitate constituendum sit, quod temporis natiuitatis, primus sit punctus: non solùm trina illa dimensione carens, qua, bis bina bis, solidum corpus distēditur: sed qui, neque vt superficies, quae duarum est mensurarum, neque vt linea, quae vnius tantum est mensurae, secari possit. Vt cursui respondeat temporis transuolantis, qui vix, temporis nunc instat, quod partem non esse constat, tametsi continuationem, cogitatione animi comprehendi potest. Non secus ac apud Geometras, qui cum corpora sibi proponant, quae Mathematica appellant, cogitationi tantùm subiicienda, non sensibus, punctum circunscribunt: Corpus esse indiuiduum, in quo neque longitudo, neque latitudo, neque profunditas deprehendatur: sic enim ab Euclide definitur. *Punctus est quid indiuisibile, vel cuius non est aliqua pars, quae visu percipiatur.* Quemadmodum est ipsius generationis humanae exordium, foetus videlicet. Quod non in tempus, quo foeminae mas cōgressum, munus amoris opperitur, quo obuiam prodit, quo in collum inuadit: quo optatos amplexus, quo suauia dans,

Dulcemque florem spiritus,
Ducens aperto tramite,
Pectore vritur intimo:

ab Astronomis constitui debuit, sicut Picus Mirandula sciscitatur lib.7.cap.2.dū querit ex multis principiis, quorum singula (vt ipsi videtur) digna principatu conspiciuntur, quale potius sit statuendum principium. Sed quod praeparationibus, quae ab accidentibus fiunt, reiectis, ad momentaneam formae

introductionem, quae per sationem fit, vt sanciendum erat, constitutum fuit, vt Ptolemaeus designat lib.3.in princ.& tex.3. Quae nō animaduertens Cardanus in suis commentariis cap.2.lib.3.statuendum existimauit in natiuitate, tempus quoddam, latitudinem habens,& certam magnitudinem, cuius tria principalia momēta esse voluit: quorum secundum, noluit appellare medium, ne quis deciperetur, *putans*(inquit ipse)*aequaliter ab extremis distare, cum quādoque sit valdè proximum principio, vel fini.* Quod non solum Ptolemaei dictis non congruit, & perspicuae & euidenti rationi aduersatur: sed & cum aliis eiusdem Cardani dictatis, vt modò dicebamus repugnat. Cum tempus natalitium, sicut naturalis ratio docet,& ex supra allato aphorismo percipitur, in instanti, ac imperceptibili ferè tempore imprimatur: perinde vt caeterae omnes Coelorum impressiones, de quibus doctissimè Lucius Bellantius, in suis de Astrologica veritate quaestionibus differuit, quaest. 13. de principiis vniuersalibus artic. p°. & quemadmodum in epistola ad Philippum Archintum Episcopum, in qua, plura, in eius, de rebus Astrologicis libris, praefertur, idem ipse Cardanus, de hominis principio loquens, expressit his verbis. *Nascendi etiam tempus, quale sit, quódque momento constet, in ipsa tractatione à nobis ostensum est.* Ac quemadmodum in coniugiis ipse met Cardanus considerauit, cum super tex.3. lib.3. quadripartiti scripsit. *At in coniugiis non solemnitas illa, & pompa animaduertenda est, sed primus punctus*

L consen

consensus eorum, qui possunt. Ex quibus concludimus, tempori per Astrolabium sumpto, simpliciter non esse acquiescendum: ni secto, infans, matris aluo, natus sit. Quo casu, cum ab humana voluntate, principium nascendi, aliquatenus pẽdere possit, aliter sentimus. Licet interim non negemus, fieri posse, vt habeatur momentum natiuitatis per Astrolabium, scientia, labore, & felicitate quadam, vel nati, vel artificis, adhibita praecipue diligenti obseruatione, circa superius per nos enarrata: sed vtilem Astrolabij vsum esse censeamus, vt exinde in omnem casum, facilius, planius, ac minori labore, in veri temporis cognitionem peruenire possimus.

Sunt haec, Serenissime Princeps, ex conuinctis argumenta, ad rei dubiae fidem faciendum ducta: quae in proposita quaestione, quod ad veritatis similitudinem, iuxta naturae cõsentaneam rationem, propensiora esse viderentur, ab hinc triennium, ad decimum sextum Calend. Februarij, cum Florentiam die pristini, ad id negocij solum venissem, ac aliquot post diebus restitissem, non iudicandi causa, sed meae erga te voluntatis testificandae, & vt testatum apud animum tuum relinquerem, quid senserim, tibi obtuli. Et quae nunc amicorum precibus, plures secutus, qui virtute & consilio praestanti, maximorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Ducum, & caeterorum, qui cum potestate & imperio essent, & priuatorum hominum horas natales expendendo, ac in studiosorum gratiam peruulgando, idem factitauerunt, edere statui. Tametsi certo scio, cum que nos literis consignauimus, ea

summis

ſummis ingeniis,exquiſitaque doctrina Aſtronomi diuerſimodè tractauerint, vt in principio praefati ſumus: fore vt noſter labor in varias reprehenſiones incurrere poſſit.Dum & quibuſdam non probatur, quod nimis ieiunè agitur, cum ſit campus, in quo exultare poſſit oratio: & compluſculis hoc diſplicet, ſi quid praeter eorum opinionem affertur. Sed vtrumque à nobis,dedita opera factitatum, quí haec conſiderabunt,ſciant. Nàm neque fecimus altos nimis, & obſcuros in his rebus quaeſtionum ſinus:ſed ingenuae artis, ita duntaxat primitias explanauimus, vt & his, qui vel primoribus labris res Aſtronomicas deguſtarunt,& extremis (vt dicitur) digitis attigerunt, in aperto eſſent. Et quae porrò noua nonnullis,& inopinata adduximus,ſi qui ſuperiora corporis poſtquam helleboro candido purgauerint, putauerint reprehendenda, his, ſi audeant ſuccenſeant, vnde ea nos accepimus. Quod enim potiſſimum noſtrum conſilium fuit,vt quatenus artis eſſet,veritatem indagaremus, equidem praeſtitimus:vt eius ratio,non ex Arabum modo,ac Graecorum,ſed & Latinorum enunciatis reddita eſt. Cum enim,vt in caeteris diſciplinis, in rebus Aſtronomicis,variae ſunt doctiſſimorum hominum, ac diſcrepantes ſententiae: de duobus tamen, per nos iactis fundamentis, hauſtis è fonte naturae,quòd ſatis exploratè percepta ſint, & cognita, nulla diſſeſſio eſt: quin ea omnes,quorum,moleſtum ſit, annumerare ſentẽtias,vno ore,ſine vlla dubitatione, defendunt. Adeò, vt mihi quidem dicendum videatur, quòd vel corporum coeleſtium poſitura . tempore . quae

natiuitatis, à nobis propoſita, attendenda ſit: vel ingens Aſtronomiae librorum numerus, ſpontè, atque opera conſulta incendendus eſt. Quemadmodum in alia ſententia, in libris de Diuinatione, comburendos annales, M. Tullius cēſuit. Qui poſtquàm plures augurum obnunciationes enumerauit, quas veras fuiſſe, (vt ipſe dicit) exitus approbauit: rem Priſco Romae regnante Tarquinio, actam, cuius & Dionyſius Halicarnaſſeus, & Liuius meminerint, ex Attij Nauij auguris reſponſo refert: nouacula ſcilicet, inſpectante & Rege, & populo, in Comitio cotem eſſe diſciſſam. Quod vt ita factum, ex omnium veterum ſcriptorum monumentis, accepiſſe ait: *negemus* (inquit) *omnia, comburamus annales, ficta haec eſſe dicamus.*

Hactenus circa faciendi rationem & praecepta, ac eam, quam notatio naturae, & animaduerſio peperit genethliacam artem, literis prodideram: cum ad id, quod expoſitum fuit, & ex ipſa expoſitione, tùm probabile elicitur, tùm probabile cognitum, ſua ſe vi & ratione confirmat, rei etiam nota mihi acceſſit: quae nuper, cum Solis circuitus, poſtquam huiuſce artis ſcripta, tibi de manu in manum tradidi, tertiam ſui orbis conuerſionem conficeret, eſt patefacta. Ferè enim in his diebus, quibus elaboratum opus imprimēdum bibliopolis dare deſtinaueram, Florentiae, in libris ſacri baptiſmatis, à publicis artis mercatorum miniſtris, magna cum cura adſeruatis, & diligentiſſimè cuſtoditis, non diem ſolùm tuum natalem: qui is fuit dies, qui nunciationi Deiparae Virginis conſecratus, feſtus, atque ſolemnis quotannis ce

nis celebratur:ſed & diurni ſpacij ſignificationē, & quidem multò ante tempus vulgatum, Terrae ſcilicet, & Titanis filia Aurora horizontem orientalem ſcandente, adnotatum reperiri, certior ſum factus. Quo, etſi ſecundum ſummorum philoſophorum ſanctiones, & maximorum Aſtronomorum ſcita: quos eximiae rerum coeleſtium ſcientiae ergo, quoad extincti occiderunt, Coelum humeris ſuſtinuiſſe, preclarè dicere poſſumus: ſicut de Atlante Aſtrologo praecellentiſſimo, fictis fabulis, non inconcinnè commentata eſt antiquitas: quid in hac cauſa ſentirem, diſparibus compactis cauſis, quod nemo antehac aggredi eſt auſus, quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit, praefatus, expreſſi: magis tamen etiam, ac magis oblector, quia meis ſcriptis, tui ortus, hactenus recondita nota reſpondet. Nàm quātum vis licet, ad artem omnia, & praecepta, quae nobis Syriorum nationis, & Graeciae monimentis diſciplinīſque ſunt tradita, reuocauerim: quae habent ordinem, & quaſdam, errare in faciendo, non patientes vias: ac propterea quae exquiſitius collectis rationibus, de tui Coeli ſtatu diſſeruimus, ſatis nobis faciant: doctrinarum tamen, quas euoluimus conſenſus, & cum temporum menſis ſpaciis, mirificus concentus, in re crebro ancipiti contentione diſtracta, maximè admodum delectat.


EIVSDEM AVCTORIS, super Astrologiae & Astronomiae nominibus, pro eodem subiecto acceptis: ac aliorum vocabulorum, contra communem vsum vsurpatione.

Quoniam magna quam plurimis opinio est, quae ab his, qui multorum sententia docti habiti sunt, originem duxit: de syderibus scire, quicquid ad motus, & moles eorum dimetiendas attinet, ad Astronomum pertinere: ad praeuidenda verò futura, pro habitu, eorumque positura, ad Astrologum: vt in suis disputationibus Ioannes Picus affirmat: ac Erasmus Reinholdus Salueldensis asseuerat, dum inquit. *Posterior autem aetas, eam doctrinam, quae rationem motus stellarum contemplatur, ac numeris persequitur, Astronomiam consueuit dicere: & Astrologiae nomen accomodauit, ad solas praedictiones de euentibus, qui astrorum motibus & positura, efficiuntur, aut significantur in hac inferiori natura.* Quod & ante Isidorus Hispalensis Episcopus scriptum reliquerat, Originum lib.3. cap.3. Ac exploratum propterea cóplusculis esse posset, quòd duo nomina disparibus vocibus nuncupata, sicut eorum vsus est, & tractatio, pro rebus diuersis declarandis adhibuerim: lectorem idcirco, vt omnia dilucidiora sint, admonere, non ab re futurum existimaui: sicut Astronomiae, & Astrologiae nominibus, non

non tanquam diuisis & separatis, vt aliud per Astrologiae, aliud per Astronomiae nomen significare voluerim: sed tanquam vnum, & idem valeant, ac pro vno eodemque subiecto, in his quae à me de parte horoscopante scriptis prodita sunt, vtriusque nominis ἔτυμον sequutus, vsus sum. Tametsi, & permixta ab aliis, & confusa ista nomina fuisse, non me fugeret. Nàm & in frequenti vsu, apud optimos quosque scriptores, horum nominum vsurpationem fuisse legi: & veterum more, tàm quae ad motus, & moles syderum dimetiendas, quàm quae ad astrorum iudicia pertinere agnoscuntur, pariter eodem vocabulo appellari consueuisse, haec cum scribebam, neque erã nescius. Sic enim Erasmus Reinholdus praefatur. *Vetus nomen est Astrologia, qua intelligebant olim, doctrinam, non solùm de viribus, seu effectibus: verum etiam de motibus syderum, ac corporum coelestium.* Quod & Ioannem Garcaeum non latuit, cum in eius Methodo inquit, doctrinam olim eodem nomine appellatam, hodie vocabulis distinguere artifices. Quod quoniam à me sic est vsurpatum, vt publicam propè opinionem non sequutus, indifferenter Astrologiae, & Astronomiae nomina, atque adeò etiam Astrologi, & Astronomi: (vt dixi) occupauerim, lectorem ad omnem tollendam dubitationem, commonefacere volui. Quemadmodum & de aliorum verborum, cõtra communem vsum vsurpatione, pariter lector admonendus est: quae dies, sunt, & facies, & alia eiusdem in recto casu terminationis. Quibus lectos latini

tini ſermonis auctores ſequutus,in patrio caſu, abſque aliqua à recto flexione,ratione grammatica ommiſſa,vſus ſum:& alio pro forma omni,modo, & factura corporis totius. Qua in re,eam equidem ſum ſecutus rationem,quam in conſcribendis rerũ mearum commentariis: in quibus tùm rerum domeſticarum,itinerum,publicorum munium,tum ſtudiorum meorum ratio digeſta eſt,iam pridem inſtitui. In iis enim,ſic praeter caetera, verborum, & flexus, & proprietatis delectum habuimus, vt in ea perſaepe,tùm flexione, tùm ſignificatione poneremus, in qua pleraque latinorum verborum nata ſunt:ea ommiſſa,in quam,vel conſuetudine,vel inſcitia temerè dicentium, qui cuiuſmodi eſſent vocabula, quibus vtebantur, non didicerant, deceſſionem fecerunt. Quod neutiquam,in meis iuris lucubrationibus egi: in quibus non tantum multa, ad ipſam iuris theoriam attinentia,tractaui,ſed per multa etiam, quae in forenſi vſu conſiſtunt, de quibus ab hinc decem & tres annos, vel conſultus de iure reſpondi, vel ius dicens pronunciaui, vel arbiter iudicaui, diffuſa & diſſipata,edere ſtatuens,in certa genera,ad artem reducens,coegi.In illis enim,non Sceuolae,Papiniani, Labeonis, Vlpiani, aut eorum cuiuſpiam antiquorum iuriſperitorum, ex quorum reſponſis, ſacratiſſimi Iuſtiniani iuſſione,libri Pandectarum, ſeu Digeſtorum confecti ſunt, qui apprimè linguae latinae ſcientes, perbenè latinè ſcripſerunt, veſtigia ſum perſequutus:ſed ad noſtri tẽporis iureconſultorum morẽ, vt eo vterer ſermone, qui his,cũ quibus loquerer,notior eſſet,calamum potius accomodaui.

CATAL



CATALOGVS SCRIPTORVM, quorum vel meminit auctor, vel quorum monumentis usus est.

Abrahamus Auenaris Iudaeus.
Albertus Marchesius de Cotignola.
Albohali Arabs.
Albohazen Haly filius Abenragel.
Albubater Arabs.
Albumasar Abalachi.
Alchabitius Arabs.
Alendezgod Arabs.
Alexander ab Alexandro Neapolitanus.
Alfonsus x. Hispaniae Rex.
Almansor Saracenus.
Alpetragius Arabs.
Anacreon Teius.
Antonius de Monte Vlmo.
Antonius Mizaldus Mónslucianus.
Aristoteles Stagirita.
Athenaeus.
Auerroës Cordubensis.
S. Augustinus Episcopus.
Augustinus Iustinianus Genuensis episcopus.
Auicenna.
Baccius Baldinus Florentinus.
V. Beda Anglosaxonensis.
Bernardinus Corius Mediolanensis.
Bethem Arabs.
S. Bonauentura.
Caelius Augustinus Curio.
Caesar Euolus Neapolitanus.
Caius Iulius Solinus.
Caius Plinius Secundus.
Claudius Galenus Pergamenus.
Claudius Ptolemaeus Pelusiensis.
Cornelius Tacitus.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laërtius.

M Dion

Dion Cassius Nicaeus.
S. Dionysius Areopagita Atheniēsis episcopus.
Dionysius Halicarnass.
Dominicus Sceuolinus.
Erasmus Reinholdus Salueldensis.
Euclides Megarensis.
Euripides Atheniensis.
Flauius Iosephus.
Frāciscus Guicciardinus Florentinus.
Franciscus Iunctinus Florentinus.
Gabriel de Zerbis Veronensis.
Gabriel Pirouanus.
Georgius Trapezuntius.
Georgius Valla Placentinus.
Gondisaluus Toledus.
Guido Bonatus de Foroliuij.
Gulielmus Paradinus.
Haly Heben Rodan.
Hermes Trismegistus Aegyptius.
Herodotus Halicarnasseus.
Hieronymus Cardanus Mediolanensis.
Hippocrates Cous.
Homerus.
Hyginius.
Iacobus Nardi.
Iacobus Rueffus Tigurinus.
Iacobus Vlmensis.
Ioannes Bachonus.
Ioannes Baptista Carellus Placentinus.
Ioannes Baptista Podius Florentinus.
Ioannes Duns Scotus.
Ioannes Fernelius Albianus.
Ioannes Ganiuetus Viennensis.
Ioannes Garcaeus.
Ioannes Hispalensis.
Ioannes Iouianus Pontanus.
Ioannes Paduanius Veronensis.
Ioannes Picus Mirandula.
Ioannes Pierius Valerianus.
Ioannes Regiomōtanus.
Ioannes de Saxonia.
Ioannes Stadius Leonnoutensis.

Ioan

Ioannes Stoflerus Iustingensis.
Iordanus Nemorarius.
Ioseph Moletus.
Isidorus Hispalensis episcopus.
Iulius Caesar Arantius Bononiensis.
Iustinus.
Leopoldus Austriacus.
Lucas Gauricus Neapolitanus episcopus Ciuitatensis.
Lucius Bellantius Senensis.
Ludouicus de Rigiis.
Marcus Terētius Varro.
Marcus Tullius Cicero.
Marsilius Ficinus Florentinus.
Mathaeus Guarimbertus Parmensis.
Messahala Arabs.
Michael Maestlin⁹ Geoppingensis.
Nicolaus Copernicus.
Oddus de Oddis Patauinus.
Omar Tiberinus.
Orontius Finaeus.
Paulus Iouius Nouocomensis, episcopus Nucerinus.
Pausanias.
Petrus Abanus Patauinus. C.
Petrus de Haliaco Alemanus Cardinalis.
Petrus Gregorius Tholosanus.
Petrus Turellus.
Philo Iudaeus.
Pindarus Thebanus.
Plato Atheniensis.
Plutarcus Chaeroneus.
Pomponius Mela.
Pontificale Romanum.
Proclus Diadochus.
Publius Ouidius Naso.
Publius Virgilius Maro.
Quintus Curtius.
Raffael Volaterranus.
Regum liber de significatione planetarum.
Seuerinus Boëtius.
Strabo Amasaeus.
Suetonius Tranquillus.
Suidas.
Thaddaeus Hagecius ab Hageck.
Titus liuius Patauinus.
S. Thomas de Aquino.

Valentinus Nabod Sile-
ſius.
Vellius Arabs.
Xenophon Athenienſis.
Zaël Iſmaëlita.

F I N I S.



EX OFFICINA BARTHOLOMAEI
HONORATI FLORENTINI.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pag. 8. lin. 12. repudiando, lege repudianda.
Pag. 16. lin. 6. πλαγωμένων, lege πλανωμένων.
Pag. 16. lin. 21. erectum, lege exectum.
Pag. ead. lin. 22. que reliqua, lege, quae reliqua.
Pag. 20. lin. 6. faciei, lege facies.
Pag. 21. lin. penul. viuis, lege riuis.
Pag. 28. lin. 22. Post illa verba, post meridiem *desunt ista verba.* eiusq; principe sexqui altero, aestuosae præcipitatae noctis. (Quando &c.
Pag. 39. lin. penul. habent, lege habeat.
Pag. 55. lin. 5. imagini, lege imaginis.
Pag. 47. lin. 4. plurei, lege plures.
Pag. 48. lin. 28. πανσάλιος, lege πανσέλινος.
Pag. 65. lin. 17. συγγονὴ, lege συγγενὴ.
Pag. 69. lin. penul. iuuictus, lege inuictus.
Pag. 72. lin. antepenul. edibit, lege edidit.
Pag. 76. li. 23. vbi reperiri contigerit, lege vbi vbi reperiri cõtigerit.
Pag. 80. lin. 9. instat, lege instar.
Pag. 84. lin. 9. meminerint, lege meminerunt.


BIBLIOTECA